

3 1761 07325189 4



sculpsit Sam. Czetter Oroshaziensis ex Com. Bekesiensi.

RATIO
EDUCATIONIS PUBLICÆ
totiusque
REI LITERARIAE
per
Regnum Hungariae
et
Provincias eidem adnexas.



BUDAE
Typis et Sumtibus Regiæ Univer. Hungaricæ.
1806.



Quod munus Reipublicae adferre maius, meliusque possumus, quam si docemus, atque erudimus Iuuentutem, his praesertim moribus, atque temporibus?

Cicero de Diuinat. Lib. II.

PROOEMIVM.

Recta Iuuentutis Institutio, totiusque Educationis, ac Rei Literariae procuratio tanti semper fuit apud bene moratos Populos, vt vel praecipuum felicitatis publicae cardinem in eadem verti arbitrarentur. Nec sane immerito: si enim omnis publicam in rem prosperitas e sanctitate Religionis, fide erga Principem, charitate Patriae, Studiis optimarum artium, ac mutua Ciuium in re bene gerenda conspiratione, tamquam e totidem fontibus manat, facile intelligitur, quantopere sit elaborandum, vt harum rerum semina teneris puerorum animis tempe-

stiue inserantur, adolescente aetate foueantur, ac tandem ad plenam quasi maturitatem, et perfectionem adducantur.

Quare cum cetera omnia, tum illud Maiorum instituto sapienter est prouisum, vt publica Ciuium succrescentium Educatio, bonarumque Artium procuratio inter praecipuas Regis, Regnique curas censeretur; quo nimirum tota Iuuentutis institutio, atque Literarum pertractatio huc vnice referatur, vt teneri puerorum animi virtutis amore sensim capiantur, vt insitae a bona Natura facultates mature perpoliantur, vt vis intelligendi assidua exercitatione acuatur, vt voluntas ad honesti leges iam inde a primis vnguiculis fingatur, vt iis omnes artibus erudiantur, quae imposterum vsui cuique, atque emolumento esse possint: verbo, vt aequabilis quaedam Studiorum, totiusque Educationis forma Regno toto praestituatur, at-

que

que constanter retineatur; quo scilicet praesentis instituti beneficium possit ad omnes ex aequo peruenire.

Vt autem haec educationis, atque studiorum Norma ad fines hosce adsequendos conformetur, expendenda imprimis fuit multiplex Adolescentum, ad quos institutionis huiusce fructus pertinere debet, conditio; quae quidem triplici potissimum ex capite potest spectari: scilicet e Nationum, Religionum, et Statuum varietate. Ac primum quidem neminem, qui in rebus Hungariae peregrinus non sit, potest latere, in Regno hoc, et Prouinciis adnexis, praeter minores alias, septem omnino censeri Nationes praecipuas, seu Incolarum Classes, easque admodum numerosas. Hungaros videlicet proprie dictos, Germanos, Slauos, Croatas, Ruthenos, Illyrios, Valachos; qui omnes linguis vtuntur propriis, nec parum

inter se dissidentibus. — Sed et Religionum, quibus Incolae dediti sunt, haud paruam esse varietatem, siue in credendis Dogmatibus, siue in Sacrorum Ritibus vsurpandis. Sunt nimirum Romano-Catholici, Augustanae, et Helueticae Confessionibus addicti, Catholici Graecum sectantes Ritum, ac alii eiusdem quidem et ipsi Ritus, at cum prioribus non vniti. Numerus Classium singularum ad complura excurrit millia; id, quod eo contentiorem exposcit solicitudinem, et in digerenda Rei Literariae administratione circumspectionem, quo maior inter eas viget Dogmatum, ac Rituum dissimilitudo. — Quod demum ad Ciuium Statum adtinet: alii sunt Homines rusticani, alii variis dediti negotiis, opificiis, quaestibus, artibus, et commerciis; alii publicae, aut aerariae rei administri; alii militiae praefecti; alii nobiles vario muniorum genere distenti; omnis denique Clerus, vna cum Familiis Religiosis.

Ex hac tanta Ciuium, atque ordinum varietate luculenter adparet, etiam Studiorum in Scholis tractandorum rationem multiplicem esse, et hanc ipsam varietatem in constabiliendo Scholarum instituto cumprimis ante oculos versari oportere, ac proinde operam adhibendam esse, vt Natio quaelibet, quantum quidem effici poterit, propriis instructa sit Ludis vernaculis, quibus praesint Moderatores non modo Natiuae, sed et Hungaricae, qua licebit, Linguae ita periti, vt eam docere possint. Deinde, vt Institutum hocce Literarium omnibus ex aequo Statibus, et Ciuium conditionibus sit adcommodatum, atque ad communem omnium culturam, publicaeque rei emolumentum, nullo Religionum discrimine, vnice referatur.

Quare in delectu Artium, et Disciplinarum omnis expromenda fuit diligentia, vt

ea

ea defigantur Studiorum genera, quae futuris cuiusque conditionibus sint adcommodatissima; nec quidquam tenerae proponatur aetati, nisi quod imposterum eidem adiumento esse possit. Atque, vt a plebeis ordiamur, perspicuum est, in horum institutione illud vel maxime esse spectandum: vt iis informentur artibus, quae pertinent ad praestanda officia boni hominis, fidelis subditi, ac probi christiani; tum iis, quae faciunt ad varia vitae genera Adolescentibus huiusmodi proposita; qui scilicet aetate iam adulta, futuri sunt agricolae, opifices, quaestores, vel denique alia quaeuis humanae Societatis membra; illi vero, quibus natura maiores ingenii facultates est largita, apta sublimioribus disciplinis ponant fundamenta. In horum ergo gratiam SCHOLAE VERNACVLAE, seu, vt iam vocant, NATIONALES in Pagis, Oppidis, et Vrbibus erunt erigendae, et propria iisdem, eaque opportuna instituta, et leges sanciendae, quarum

ope

ope tenello huic Ciuium Seminario conueniens educatio adhibeatur; ad scientias autem sublimiores adspirantibus adiumenta necessaria comparentur.

Ludis hisce Vernaculis constabilitis, traducenda erat cura ad illos Adolescentes, qui his emensis Studia Literarum vltra prosequuntur, ac paucos post annos Latinis in Scholis expletos, missis Literis, transeunt ad exercendum quoddam opificium; ad faciendam mercaturam, ad tractandam rem familiarem, ad capessenda Camerae Regiae, vel priuatorum obsequia, ad oppidorum, vrbiumue inferiora munia, ad militiam, ad rem metallurgicam, ad cathedras in Scholis Vernaculis administrandas, aliaque id genus vitae degendae adminicula. — Expensis hisce futurae aetatis conditionibus definienda fuere Studia huic auditorum classi opportuna, atque vsui imposterum futura, quemad-

admodum et tempus eorundem curriculo adtribuendum. Quia vero Iuuentus Classe hac comprehensa solet esse admodum frequens, Regnoque toto late diffusa, nemo non videt, singulis in Prouinciis complures esse oportere Scholas eidem informandae destinatas, quae deinceps venient nomine SCHOLARVM GRAMMATICARVM.

Complures Iuuenum emenso Grammaticae Curriculo, teste quotidiana experientia, gradum faciunt ad Studia Humanitatis, quae posteaquam tractando absoluerunt, Musis certatim valedicunt; partim, quod iam aetatem rebus gerendis idoneam adsecuti sint, partim, quod fortunae domesticae id non raro deposcant: quare alii ad lares paternos redeunt, vt relictam adeant haereditatem, aut familiae tuendae curam recipiant, reique familiaris administrationem vsu ipso condiscant; alii ad magisteria Ludorum

Ver-

Vernaculorum, aut Grammaticorum animum adiiciunt; alii Clero se adsociant, vel Institutum quoddam Religiosum amplectuntur; alii alias viuendi rationes in superioribus commemoratas arripiunt. His igitur rite instituendis tertium Scholarum, quas GYMNASIA adpellamus, genus est adornatum, paulo quidem minorem, quam Ludi Grammatici, censens Alumnorum numerum; late tamen admodum patens propter tractandarum rerum vtilitatem, locisque collocatum plurimis propter adeundi commoditatem. — Porro Studia pleraque in Scholis Grammaticis iam confecta, in hisce Gymnasiis recolentur, vltraque prouehentur, et nouae insuper addentur Disciplinae supra expensis vitae conditionibus subsidia adlaturae. Vnde ad annos illos, quibus Grammaticae cursus definitur, tot adhuc sunt adiuncti, quot videbantur Disciplinis huic Adolescentum Classi consentaneis rite ediscendis necessa-

rii,

rii, spectata ipsa etiam Auditorum aetate, ad maturitatem iam sensim accedente.

Multi post absolutas, quae ad Humanitatem pertinent, disciplinas studia sua vltra prosequuntur, et operam ad condiscendam Philosophiam traducunt, ibi demum experturi: quo spiritus ferat, et ratio? sitne studiis ponenda meta? vel ineunda Theologia, aut Iurisprudentia? vel vero Ars Medica consectanda? vt nempe his doctrinarum adminiculis aut necessaria vitae subsidia sibi comparent, aut vtilia Regi, Patriaeque suae obsequia praestent: quapropter verum hic esse Triuium recte quis dixerit. Cum autem e Gymnasiis facienda sit accessio ad Studium Philosophicum, omnibus illis, qui aliquam e tribus volunt inire viam, necessarium; illud etiam erat constituendum: primo, vt disciplinae huius Studii cum Scientiis in Gymnasio pertractatis affinita-

tem

tem habeant, apteque cohaereant; tum vt illae, quas Triuium illud desiderat, omnes adsint, viaque perfecte complanata ad scopum deducant. Atque hoc illud est genus Scholarum, cui nunc nomen LYCEI, pace antiquitatis Graecae et Romanae, pro discrimine tribuitur, et biennii curriculo absoluitur; ad quod si Literatura seuerior, et amplior, studiumque Iurisprudentiae speciatim accedat, titulo ACADEMIAE erunt insigniendae Scholae, in quibus magno cauetur opere, ne rerum parum vtilium tractatione, enodandis futilibus argutiis, cumprimis autem crebris a Studio cessationibus, seu Feriis tempus pretiosum, neque deinceps reparandum terant Iuuenes; quorum alioquin haud paucis vel natura ipsa auarior, vel quotidiana vitae consuetudo, vel denique domestica impedimenta angustos admodum colendi ingenii limites posuerunt. Tempus curriculo Academico destinandum infra designabitur, quemadmodum ipsae etiam Di-

sci-

sciplinae; quas quidem sic oportebit esse comparatas, vt cum Scientiis in Gymnasio pertractatis apte cohaereant, et mutua quadam affinitate sint deuinctae.

Qui demum decurso Stadio Academico ad vlteriorem etiamnum Eruditionem, tanquam ad Studiorum suorum culmen adspirauerint; iis adeunda erit Regia VNIVERSITAS, quae est quasi emporium quoddam omnium Scientiarum, Artiumque ingenuarum; vbi licebit audire Viros celeberrimos, delectum Disciplinarum cuiusuis ingenio, vel rationibus accommodatarum facere, enucleatius cuncta rimari; verbo, omni Doctrinarum genere quam cumulatissime erudiri.

Atque haec sunt illa Educationis publicae principia, et fundamenta, quae DEPVTATIO REGNICOLARIS in Comitiis an-

ni

ni MDCCXCI decreta, et delecta ante oculos habuit; haec est compendiaria Systematis illius Literarii adumbratio, quod Augustissimus Imperator et Rex FRANCISCVS II pro suo iure et potestate, maturoque consilio in publicas Regni Hungariae, partiumque eidem adnexarum Scholas introduci voluit ea cum declaratione: quod Scholae Graeci Ritus non Vnitorum nunc adhuc sua sub directione retineri possint; Euangelici autem Augustanae, et Helueticae Confessioni addicti in iis, quae pure sunt Literaria, Studiorum argumentis huic Normae se se conformare debeant. Accedent in sequentibus alia etiam quaedam Instituta, partim ad Iuuentutis vtriusque sexus Educationem, partim ad pleniorem Eruditionem, Gentisque ornamentum pertinentia. Facile autem adparet, omnem operis suscepti compagem, atque perennem stabilitatem in tribus his potissimum Capitibus consistere; nimirum: I, in delectu Disciplina-

rum,

rum, et Artium, earumque distributione, et Classi Iuuentutis adcommodatione; II. in recta Rei Literariae administratione, et gubernatione, beneque ordinata negotiorum, et officiorum consensione; III. in Fundo, sumptuque perenni, in vectigalibus, et subsidiis cuilibet Scientiarum generi rite pertractando necessariis. Vnde opus vniuersum in totidem Partes aptissime tribuetur: quae iam singulatim explicandae veniunt.

CON-

CONSPECTVS OPERIS.

PARS PRIMA.

De delectu, et distributione Disciplinarum.

SECTIO I.

De Scholis Vernaculis.

CA-

SECTIO II.

De Scholis Grammaticis.

SECTIO III.

De Gymnasiis.

CA-

SECTIO I.

De Gubernatione.

SECTIO II.

De peculiaribus Praesidum, Professorum, et Discipulorum Officiis.

CA-

PARS TERTIA.

SE.

SECTIO I.

De Multiplicibus Subsidiis Literariis, et Supellectili erudita.

SECTIO II.

De Fundis Institutorum Literariorum.

PARS

PARS PRIMA

DE

DELECTU

ET

DISTRIBVTIONE

DISCIPLINARVM.

SECTIO I.

DE SCHOLIS VERNACVLIS.

CAPVT I.

De Studiis Scholarum Vernacularum generatim.

§. 1.

In definienda institutione, quae Scholis Vernaculis vniuerse conuenit, non imbecillitas modo aetatis tenerae, sed illud insuper in considerationem venire debet: quonam vsque se extendant eorum ingenia, et scientiae, quorum administrationi Ludi tales concreduntur? Paedagogi proprio nomine adpellantur. Hos enimuero, vt erudiendae, regendaeque pueritiae scholasticae, indole sua et natione perquam variae, cum vtilitate pos-

sint praefici, ante omnia oportet esse rite praeparatos, et disciplinis illis plene instructos, quae publicis id genus Paedagogiis sunt addictae. Propaedeuticum, et methodicum eorum tirocinium erit in Scholis Primariis.

§. 2.

Rei praeterea publicae rationes deposcunt, vt generalia Educationis principia ad dissidentes etiam Religionum Sectatores pertineant; qui cum multis in locis permixte degant, fieri necesse est, vt communes interdum Scholas habeant. Hi vt tuto, ac sine offendiculo possint vbique versari,

a) Libri vsibus *Scholarum Vernacularum* destinati ita erunt comparati, vt iis vnusquisque legentium, et audientium libere ac promiscue, cui demum cunque Religioni sit addictus, vti possit.

b) *Catechismus* autem Iuuentuti cuiusuis Religionis proprius separato libello comprehendetur.

c) *Sacri* locorum *Curiones*, quibus cura *Doctrinae Christianae*, Iuuentuti Catholicae explanandae, tamquam patrimonium quoddam hereditarium incumbit, eandem non in Templo solum, quod dominicis, et festis diebus fieri adsolet, sed in

in Schola quoque semel quot hebdomadis; aut, si maior est discipulorum frequentia, etiam saepius explicabunt. Sicubi vero pueri in duas tributi classes alternis duntaxat, ante nimirum, et post meridiem conuenient, aequa ratione partem vtramque informabunt.

d) Ast vbi *Religionum differentium* est palaestra, *Catechismus* diebus Mercurii et Sabbati, post communes institutionum horas, Catholicis a suo, sicut et ceteris a proprio Sacrorum Administro seorsum exponetur.

e) Ceterum nouerint omnes *Scholarum Vernacularum Praesides*, *et Magistri*, id sibi in mandatis dari, et seuere praecipi: vt Scholares suos, nullo plane Religionum discrimine, magna semper cum comitate, et humanitate tractent, ac sic educare satagant, vt charitas nulli partium studio obnoxia vbique eluceat, et omnis a sermone circa Religionum dogmata controuersia quam longissime absit.

f) Denique, ne forte per ista, quae hic vere, recteque feruntur in bonum commune praecepta, opinioni cuipiam sinistrae detur occasio, quasi ad mixtas iterum Scholas intenderentur cogitationes, et Magistri diuersarum Religionum po-

stu-

stularentur ad Paedagogia publica; quod olim plures toto Regno Communitates sibi non placere sat superque manifestarunt; declaratum esto: Scholas Catholicorum Vernaculas ita comparatas esse debere, vt per eas alienae quoque Religionis pueri, praeter vnam suae Confessionis doctrinam, in omnibus suapte natura profanis, et communibus Studiorum materiis erudiri possint: hoc enim tantum est, ad quod contenditur.

§. 3.

Linguae Patriae vsum Ciui Hungaro esse omnino necessarium, nemo est, qui ambigat; idcirco cura vbique peculiaris, et continua erit in Scholis Hungariae adhibenda, vt illius cognitione Adolescentes pariter, et quantocyus imbuantur. Sicubi locorum visa fuerit esse communis, aut satis nota; ea sola sit institutionum scholasticarum instrumentum, et vehiculum; ast vbi doceri debet, natiua erit ad illam etiam condiscendam interpres, et magistra.

§. 4:

Cum non pauci Adolescentum e Scholis Vernaculis transituri sint ad *Latinas*, ideo neces-

se

se est in illis *Linguae* quoque *Latinae fundamenta* ponere; vnde hoc etiam consequitur: in legendis Didascalis scientiam Latinitatis, si quidem adsint dotes ceterae, spectari oportere. Sed et

§. 5.

Orthographia, ars recte, belleque scribendi, non postremam institutionis partem requirit. Dum enim Adolescentes e coetu Scholarum Vernacularum gradum faciunt ad contubernium Latinarum, praeter alium disciplinarum puerilium adparatum adferre debent vsum rite nitideque scribendi, non perfectum illum, numerisque omnibus absolutum (neque enim ab hac aetatula tantum expectari potest) sed tamen mediocrem quemdam; ne scilicet Grammaticae Doctoribus alia deinceps incumbat cura, quam ductus literarum iam feliciter inchoatos perpoliendi, scripturamque nitidam obtinendi. Quia vero euenire non raro poterit, vt diuersi hi Vernacularum, et Latinarum Scholarum Magistri forma scribendi, vt vt probabili, dissimili tamen vtantur; euitari nequit, quin e tali literarum discrepantia confusiones quaedam, et perturbationes in ipsos denique Discipulos redundent, atque inde, dum

exem-

exemplaribus a nouo Praeceptore propositis sese conformare conantur, priores characterum formas sensim dediscant, nec fortasse nouis dextre ducendis adsuescant, ideo vt malo huic in tempore anteuertatur, exemplaria scripturae lectissima non pro Latina solum et Hungarica, sed pro ceteris etiam natiuis Linguis efformabuntur, aerique incidentur, et ita per Scholas Vernaculas copiose distribuentur: vt earum imitatione discant pueri elementa literarum aequabiliter pingere, verborumque textum recto tramite continuare, ac, si opus fuerit, etiam Magistri suam manum ad eandem amussim conformare. Vt autem ex hac scribendi methodo, et exercitio alia quoque emolumenta existant, propositae ad aemulandum Formulae complectentur Sententias morales, et varia Scripturarum exempla, quae in vita Ciuili occurrunt, sed intellectum aetatis adolescentis non excedunt; vti sunt Syngraphae, Apochae, Pacta, Cautiones, Epistolia, Libelli supplices, et similium negotiorum specimina.

CA-

CAPVT II.

De Studiis in Vernaculis Pagorum, et minorum Oppidorum Scholis.

§. 6.

Propositum est ea duntaxat Studiorum genera deligere, et praescribere, quae cum fine praestituto apte congruunt; atque has praecipue Scholas iis instruere disciplinis, quibus plebea sexus vtriusque Pueritia carere haud potest. Principem isthic, sicut vbique, locum tenet *Doctrina Christiana*; quam Pastores animarum Adolescentulis vnum in locum congregatis articulatim instillabunt, et statis insuper diebus Euangelia cum Epistolis Canonicis enucleabunt; id, quod in Scholis Catholicorum vniuerse obtinere, et eo etiam dirigi debet, vt Parentes eorum festis Domini, Sanctorumque diebus coram adsint, tum vt proposita doctrinae capita domi cum Liberis recolere, tum vt illa, quae fortassis vel in pueritia sunt neglecta, recuperare, vel crescentibus annis obliterata, in memoriam reuocare nunc demum possint.

§. 7.

§. 7.

Alia, quae huc referuntur, institutionun capita non erunt vnicuique Discipulorum aequ necessaria; erudientur autem omnes

a) In noscendis *Literis*, connectendis sylla bis, legendisque libris tam typo excusis, quan manu exaratis.

b) In *Arte* recte, nitideque *scribendi.*

c) In principiis *Arithmeticae* ad commerci rustica, et similes eius vsus adplicatis.

d) In Officiis, quae debent suo Principi, Ma gistratibus, et Heris, constitutionique Patriae, vn de suam habent felicitatem, fortunarumque se curitatem; ac ceteris naturae, omnisque honesti et decori legibus.

e) *Elementa Latinitatis* selectioribus solun pueris tradentur; quales sunt Nobilium ruri de gentium Liberi, et illi de vulgo, qui singular praediti ingenio gradum aliquando facturi censen tur ad Scholas Latinas.

§. 8.

Docendis his, proprie *Triuialibus Scholis vnu* tantum *Paedagogus* dari solet; qui vt muneri su per se operoso et molesto totus vacare possit

nul-

nullo alio seu Templi, nisi forte sit Organoedus; seu Parochi seruitio occupabitur; et sicubi forte consuetudo ista nullo pacto toleranda inueterauit, confestim euelletur. Si tamen Magister vnus, et sibi, suoque Officio relictus impar oneri esse videatur; seu quod ipse viribus sensim deficiat, aut aetate quoque sit prouectior, seu quod nimia discentium, et insolens frequentia laborem augere pergat, addetur in adiutorium socius sub nomine *Praeceptoris.* De ipsa porro instituendi ratione non est, quod hoc loco praecipiatur; cum non alii, quam ad eandem in Scholis Primariis iam bene formati Didascali adhibeantur.

§. 9.

Optandum foret, vt *Pueritia pagana, oppidanaue* toto anni decursu adstringeretur ad excipiendas institutiones scholasticas, dum aetatem praestandis laboribus rusticanis idoneam adsequatur. Verum hoc a paucis sane licebit expectare; plerique enim Parentum proles suas vix quintum, sextumue vitae annum egressas rei familiaris negotiis addicunt: qui quidem mos vsu iam ipso corroboratus vel idcirco tolerabilis esse videtur, quod permagni intersit Iuuentutem agrestem a tene-

ne-

neris, vt aiunt, vnguiculis velut indurare, ferendisque in tempus posterum grauissimis laboribus praemature consuefacere. Quapropter qui Rector est Scholae, tempora tam Studiorum, quam Feriarum pro loci cuiusuis ratione definiet, Inspectori prouinciali notitiae dabit, atque ita adfixa in Scholis tabella promulgabit.

§. 10.

Licebit etiam pro re nata *Scholam duas in Classes* partiri ita, vt pueri paulum adultiores horis duntaxat matutinis; iuniores autem, qui per aetatem nondum possunt esse parentibus auxilio, postmeridianis, aestiuo praesertim tempore, erudiantur. Alternatio haec suppeditabit occasionem Discipulis ad discendum alacrius, docentibus ad erudiendum feruentius; Parentes autem nanciscentur tempus vtendi Prolium suarum opera. Quapropter forte hoc ipsum etiam per hiemem in locis magis frequentibus in morem deduci, continuarique poterit. At illic, vbi proles ea de causa adeunt Ludum literarium tam ante, quam post meridiem, vt Studiis absolutis certum quoddam vitae genus quantocyus amplecti possint; Parentum, aut Communitatis arbitrio erit relinquendum.

§. 11.

§. 11.

Quia vero publicae rei permultum interest, vt *Iuuentus rustica* doctionem accipiat statui conuenientem, discatue tempestiue, quid Deo, quid sibi, aliisque debeat? quibus officiis Principi, Patriae, Parentibus, et Dynastis suis obstringatur? Parochis, et Comitatibus in eo erit elaborandum: vt Incolae de multifaria Scholarum, si frequententur, vtilitate; si vero negligantur, boni iactura affatim edoceantur; vt Scholae, quibus in locis desunt, communi eorum sumptu excitentur, et excitatae pari ope sustententur; vt omnes sexus vtriusque Adolescentes in pagis et oppidis a sexto aetatis anno; vel qui feliciore sunt ingenio, maturius ad illas adducantur; qui vero per inualetudinem diutius abesse debent, ad duodecimum vsque aetatis annum in eadem institutione teneantur. Vnde ipsa rei ratio videtur deposcere, vt Comitatus pro ea, qua pollent autoritate, Inspectori in omnibus ad officii administrationem facientibus negotiis efficaciter adsint; Parentes autem eo impellant, vt Liberis ad commune bonum educandis officium a natura impositum explere satagant. Quod si neque adhortando, neque reprehendendo potuerit impetrari, vt nempe Proles

suas

suas ordinate Scholis addicant; ad illud certe, quod ante alia, et plurimum adcurare Societatis est Ciuilis, vt Iuuentus Religionis, Morumque disciplinam condiscat, fas erit omnes sub poena, et quidem si generis et classis sint inferioris, etiam corporali per Magistratus irroganda eo adigere, adstringereque, vt filios, filiasque suas pro accipienda Morum, et Religionis doctrina ad Parochum, reique sacrae Ministrum mittant, et hoc saltem modo, per vberiorem officiorum cognitionem non nihil eorum suppleant, quae Liberis per neglectum Scholarum, et legendi, scribendique ignorantiam decedunt.

§. 12.

Ad haec, ne *adultior aetas* dimissis Scholis, eorum, quae operose didicit, obliuiscatur, non erit abs re, si diebus sacris ante, vel post expositionem Doctrinae Christianae a Parocho instituendam Paedagogus ea, quae prius diffuse sunt tradita, compendio repetat. — Iam qua ratione distribui possint haec Studia, ostendet Tabula I.

CA-

CAPVT III.

De Studiis in Vernaculis Oppidorum maiorum, et Vrbium minorum Scholis.

§. 13.

His in locis pro numero, et conditione Iuuentutis, plenior atque perfectior debet esse institutio; ideo duae sunt Scholarum Classes, et totidem Paedagogi.

§. 14.

Doctrina Christiana hic quoque primatum tenet; de qua, cum omnia illa, quae capite praecedente dicta sunt, huc etiam obseruanda veniant, nihil aliud est distincte addendum, quam quod Parochus Adiutorem quoque suum in partem operae vocare debeat, et plenioris instructionis causa Iuuentutem omnem duos in ordines discernere, statisque temporibus Euangelia, et Epistolas declarare.

§. 15.

Cetera Studiorum argumenta, et omnibus communia sunt

a) Generatim ea, quae proxime sunt recensita. Verum

b) Arithmetica prouehetur ad Regulam, vt vocant, Trium, et Societatis; adplicabiturque ad Oeconomiam domesticam, et varia in loco vigentia artificia, commerciaque.

c) Praeterea exercebuntur Adolescentes in concinnandis Epistolis, Apochis opificum, et Rationibus Mercatorum, rebusque similibus.

d) In his item condiscendis, quae ad vitam probe, honesteque agendam, domesticam parsimoniam, et alia hominis officia pertinent. Tum

e) in Biblica veteris, et noui Testamenti Historia.

f) Lectio, scriptioque Latina eorum tantum erit occupatio, qui sunt Scholas continuaturi; eoque deducentur, vt ad primum Grammaticae Latinae annum commode transire valeant. Ast

g) illi, qui amplexuri sunt opificia, vel artes alias; discent Figurarum, et Corporum eo pertinentium lineamenta ducere, si adsit in loco Scho-

la

la huic operi destinata; et nec principia Geometriae sibi olim profutura praetermittent.

§. 16.

Temporis, Studiorumque partitionem vno in conspectu proponit Tabula II, non tam vt initium Scholarum pro qualibet die defigatur, quam vt praescripta Studia intra statuta temporis spatia ordinate tractentur. Nam qua diei hora et mane, et a meridie sint inchoandae Scholae per hiemem, aestatemue? hic vniuerse non decernitur; sed vt dierum hibernorum, aestiuorumque mensura, atque alia temporum, rerum, et locorum adiuncta; vsus item, et consuetudo in consilium accipiatur, liberum relinquitur. Optandum autem est, et agendum, vt Auroram Musis esse amicam experiantur Pueri, et a primis iam annis adsuefiant mature sese e lecto explicare, occupationi accingere, scholasque solerter adire. Porro in definitione temporis; quam diu nempe continuari debeat institutio publica? regula generalis hic, et in aliis huius generis Tabulis est ista: Adolescentes aetatis illius, quae solet esse in Scholis Vernaculis, vltra duas et dimidiam horam non detineantur.

CAPVT IV.

De Studiis in Vernaculis maiorum Vrbium Scholis.

§. 17.

Hic iam, quod Vrbium istarum frequentia, Ciuiumque classes longe ampliorem postulent institutionem, terni sunt, praeter Catechetam, Scholarum Paedagogi.

§. 18.

Quantum ad *Doctrinam Religionis*, Curiones Sacri pro numero Nationum, et Incolarum suos habent Adiutores Spirituales; immo etiam Religiosos quosdam Ordines in partem salutaris huius operis sponte venturos. Talium igitur Curionum officium erit, vt ipsi quidem in Iuuentute Religionis sanctitate imbuenda ceteris exemplo praeluceant; Adiutores vero suos adstringant, vt suae quisque Nationis Pueros sermone vernaculo in Fidei rudimentis, aliisque hominis Christiani officiis soler-

ter

ter instituat. Sicubi talis Sacrorum Minister, qui haec omnia praestet vnus diuersis linguis, haberi potest, horae duntaxat institutionum erunt variandae.

§. 19.

Alia Studia Paedagogi pertractabunt; et primo quidem praeter variam, ac continuam legendi, scribendique exercitationem

a) in Arithmetica species omnes conuertent ad quosuis casus in commercio, negotiationibus, maiorisque momenti manufacturis vsuuenientes. Deinde suis temporibus

b) exponent elementa Frugalitatis domesticae, et Oeconomiae principia, quae ad virtutis studium, mutuam charitatem, ceteraque boni Ciuis officia teneris mentibus inserenda deseruiunt.

c) Addent Historiam Biblicam.

§. 20.

Qui ad Scholas Grammaticae Latinae transituri sunt, eadem plane, quae suo loco declarata fuit, ratione docebuntur; at qui semet opificiis, aliisque artibus, aut oeconomiae dedere volunt, *tertiam Scholarum Vernacularum Classem* consti-

tuent; et praeterquam quod exercendi sint in recto Linguae natiuae vsu, et Orthographia, in contexendis Epistoliis, et similibus Scripturarum formis, in Historia Sacra, et Religionis, Morumque doctrina, in ampliore, et multiplici Arithmeticae adplicatione: discent praecipua, sibique conuenientia Geometriae, et Architecturae primordia; Historiam item Naturalem, Technologiam, Geographiam ad Commercia disponentem, et Mercium notitiam.

§. 21.

Haec Studiorum argumenta Praepositi sic partientur inter Docentes, vt omnia ordinate, et sine defectu, plene perfecteque pertractentur. Distributionem Temporis, et Studiorum repraesentat Tabula III.

CAPVT V.

De Studiis in Scholis Vernaculis Primariis.

§. 22.

Nomen ipsum indicat, latiorem esse harum, quam praecedentium, Scholarum aream; hic enim non Pueri modo vtilibus studiis, et artibus vsui imposterum futuris copiosius instruentur, sed ipsi etiam Praeceptores, qui deinceps in Ludis quibusuis Vernaculis docendi prouinciam sustinebunt, normam accipiunt, et ad officium probe gerendum praeparantur: vnde *Normales* noto iam nomine nuncupantur.

§. 23.

Pro Discipulis eadem sunt Studiorum capita, quae Scholis Vrbanis fuere adtributa; ternas in Classes dispescuntur Pueri, et totidem illis dantur Paedagogi. Ast in *Arte delineandi*, et Studio *Geometriae* hic vltra procedetur; accedet institutio in *Mechanica*, *Musica*, et *Historia Patria* in eorum

gra-

gratiam, qui emenso Ludorum Vernaculorum curriculo ad alia vitae ciuilis adminicula conuertentur; eapropter duo alii, praeter illos tres, hic sunt Magistri, Musicae alter, alter Graphidis. Quo loco praetermitti non potest id, quod iam olim sancitum, solenneque fuit: vt ad Magisteria eorum opificiorum, et artium, quibus ars delineandi est necessaria, nemo quisquam e tirocinio admittatur ante, quam Graphidis suae scientiam certis argumentis comprobauerit. Demum *Lingua* quoque *Hungarica*, et *Germanica*, vbi illa, vel ista non est natiua, in ea praesertim Classe, vnde proxima solet esse ad Latinam gradatio, ad leges Grammaticae exigetur; et in commune docebitur.

§. 24.

Partitio temporis publicis institutionibus destinati conformatur praescriptis Studiorum argumentis; Feriae autem Scholis Grammaticis, et Gymnasiis datae hic quoque, propter arctiorem Ludorum istorum nexum, conceduntur. Videatur Tabula IV.

§. 25.

§. 25.

Iam vt ad regendas Scholas adeo multiplices *idonei* veniant *Magistri*, laborandum erit, quo Candidati non eas modo Disciplinas, quas Pueris aliquando traditurі sunt, sed etiam modum ipsum calleant, crebraque exercitatione sibi familiarem reddant Tirunculos erudiendi, et quae didicerunt, cum iisdem communicandi. Ad haec institui debebunt in recte scribendi, epistolasque conficiendi legibus; in arte delineandi, et varias instrumentorum figuras adumbrandi, aedificandi; in elementis Geometriae, Mechanicae, Physicae, et Musicae, praesertim autem in tractatione Organi.

CAPVT VI.

De Libris vsui Scholarum Vernacularum destinatis.

§. 26.

Vt eadem docendi, discendique ratio vbiuis locorum teneatur, nec vlla ex instituendi dissimilitudine oriatur perturbatio, iuuerit indicare *Libros*, quibus vti Paedagogum in pertractandis studiorum materiis oportebit, dum aliqui hunc ad finem magis idonei, et ita compendiosi in lucem veniant, vt intra definitum temporis spatium edisci, totique absolui possint. Excudentur autem omnes omnium Scholarum libri literis Typographiae Regiae Scientiarum Vniuersitatis, et vt facili semper negotio queant comparari, prostabunt in variis per Regni partes Bibliopoliis.

§. 27.

Scholis Pagorum, et minorum Oppidorum isti erunt adiumento:

a) Ca-

a) *Catechismus*, seu Libellus Doctrinae Christianae, qui hactenus in vsu fuit.

b) *Alphabeticon* ita concinnandum, vt paginae Vernaculo, Hungaricoue sermone alternis distinctae mutuo sibi respondeant, et ea, quae in hactenus vsitato continebantur, ad Nationis genium adcommodentur, exemplisque moralibus ex elementario Scholarum Vrbicarum libello desumptis augeantur.

c) *Formulae Calligraphiae* typis expressae, et per omnes Classes imitandae.

d) *Arithmetica* quatuor primas species in numeris integris tam simplicibus, quam compositis complectens.

e) *Libellus Lectioni* discendae destinatus, continens generalia Physicae, Historiaeque naturalis principia, vtiliora Oeconomiae rusticae praecepta, et expositionem eorum officiorum, quibus boni Ciuis partes comprehenduntur. Addentur breuia Latini sermonis exemplaria cognoscendis, enunciandisque literis, seu exercitio lectionis seruitura.

§. 28.

Vrbium, maiorumque Oppidorum Ludi praeter illos superiores hos habebunt Classicos:

a) *Ca-*

a) *Catechismum* vulgo maiorem, pauloque diffusiorem.

b) *Historiam Biblicam* adhuc vsitatam, dum aliqua melior componatur.

c) *Arithmeticae* quatuor species in numeris integris cum regula Trium, et Societatis; vbi exempla sunt ex Oeconomia domestica, et opificiis in locis huiusmodi vigentibus petita.

d) *Librum Lectionis* Latinae vario typorum, seu literarum genere distinctum, et cum aliis Regni Hungariae, vel Croatiae, Sclauoniaeque idiomatis compactum.

e) *Elementa Geometriae*, et *Picturae Linearis*.

§. 29.

Eadem erunt *in Vrbibus maioribus* Enchiridia; sed accedet

a) *Historia Naturalis* cum *Technologia* suis locis intermixta:

b) *Geographia* Commercio adcommodata.

c) *Notitia Mercium* in vsu quasi communi positarum. Libellus tergemini huius argumenti nunc primum elaborabitur.

§. 30.

Pro *Scholis Primariis*, et quidem nominatim

a) pro secunda Classe Puerorum necessaria est *Grammatica* tam *Hungarica*, quam *Germanica*; cum vtraque connectentur praecepta tuendae Sanitatis.

b) Pro maiore tertiae Classis emolumento conscribentur *diuersa Paradigmata* Epistolarum, Titulorum, Syngrapharum, Apocharum, Libellorumque supplicum; item Formulae Pactorum, ac Rationum. Haec sequetur Syllabus selectorum Vocabulorum ita digestus, vt Hungaricis Germanica, his autem illa statim adnectantur.

c) Pro eadem Classe contexetur *Geometria* vberior, in qua missis Theorematum demonstrationibus plura adferentur Problemata futuris discentium vsibus congruentia.

d) Succedet *Mechanica* opificiis, et artibus etiam illustriorum Vrbium adcommodata. Denique

e) *Historia Hungariae* compendio data, quae auditores adliciat, et res gestas cum voluptate animis imprimat.

C A-

CAPVT VII.

De Institutis Puellaribus.

§. 31.

Publica Educationis prouidentia ad Sexum quoque Muliebrem, et Matronarum succrescentium curam semet exporrigit, et opportuna eum in finem adminicula subministrat; vt nempe quaeuis Puellarum Classis conuenientem in literis, et moribus eruditionem consequatur. Igitur vbicunque locorum praesentia rerum adiuncta, aerariique domestici vires admiserint, oportebit Ludos puellares a puerilibus penitus seiungere, eorumque Alumnas a publicis, sed tamen aetati huic non profuturis conuenticulis arcere; Parentes ipsarum, ope Curionum, aut etiam Magistratuum, de naturali hac educandi obligatione identidem commonefacere.

§. 32.

Puellae imprimis plebeae institui debent in Doctrina Religionis, in legendo, et scribendo, Lin-

Linguisque vernaculis, in elementis Arithmeticae, simplicibusque eius speciebus. Accedet constans exercitatio in laboribus huic Puellarum classi consentaneis.

§. 33.

Quae autem Ciuili, aut etiam Nobili, sed mediocri fortunarum conditione sunt progenitae, erudientur in Religionis, Morumque doctrina, et Euangeliorum explanatione, in Rerum Hungariae, Linguis vernaculis typo, et scripto consignatarum lectione; in Scriptura ad Orthographiam exacta, in Arithmetica, et Biblica Historia, in laboribus domesticis statui suo conuenientibus.

§. 34.

Illis demum, quae loco natae sunt illustriori, haec sunt praestituenda institutionum capita, nimirum: Doctrina Religionis, Officia erga Deum, Principem, Parentes, Proximos, et Seipsas; Morum item ratio intra honesti decorique limites consistens; Lectio Librorum, aut Scriptorum sermone Hungarico, Germanico, et Gallico concinnatorum; Ars recte scribendi ad leges Orthographiae conformata; Arithmetica, Historia Biblica,

et

et Regnorum ad Hungariam pertinentium simul cum eorundem Geographia; Labores denique muliebres huic Virginum ordini, ac futurae ipsarum conditioni adtemperati.

§. 35.

Puellaria haec, et publica Instituta generatim suberunt Prouinciali Studiorum Praefecturae; speciatim vero Inspectori Scholarum Nationalium; qui semestres de iis relationes ad Consilium Regium statis temporibus faciet per Superiorem illum Directorem. Quod autem ad domesticum ordinem, atque disciplinam adtinet: pendebunt a gubernio Sacrarum Virginum, quibus Scholae sunt concreditae. Est autem illis serio iniungendum: vt non aptas modo institutioni praeficiant Magistras, verum etiam in Candidatis suum in Ordinem cooptandis Linguae Hungaricae rationem habeant.

§. 36.

Reliquae Puellarum Scholae extra Coenobia Religiosa sitae, et sexus vtriusque Praeceptoribus prouisae ad normam, exemplumque aliarum Vernacularum conformabuntur. Ne autem seu in his publi-

publicis, seu priuatis institutionibus idoneae desiderentur aliquando Magistrae, vel certe necesse sit eas aliis e prouinciis arcessere; condenda erunt apud Regias Academias eiusmodi Instituta publica, vbi Virgines aliarum educationi destinatae in scientia, methodoque literarum, et artium ad propositum conducentium praeparentur, confirmenturque.

SECTIO II.

DE SCHOLIS GRAMMATICIS.

CAPVT I.

De Studiis in Scholis Grammaticis generatim.

§. 37.

Scholae Grammaticae Latinae longe maiorem rerum discendarum campum aperiunt, quam vel in fronte praeferant, vel suo nomine dicant. Cum enim huc conuenire soleant Adolescentes, qui aetate iam sunt ad discendum paulo habiliore, finesque prospectant plerumque altiores; non Latini solum sermonis praecepta, et exercitia, sed alia etiam, quae fini, aetatique cumprimis videntur respondere, Studiorum genera sunt illis condiscenda; vnde liquet, plus hic esse operis, quam nominis.

§. 38.

§. 38.

Si quae iam in sermone superiore proposita fuit institutionum ratio, vsquequaque, vt fieri debuit, est obseruata, nulla potest in praesens occurrere dubitatio, quin Tirones e Scholis Vernaculis has ad Classes traducti illud habeant Religionis, et Morum fundamentum, quod si porro augeatur, et solidetur, totius vitae Christianae aedificium sustinere, et Respublica quidem frugi inde viros, bonosque ciues, Rex autem fideles subditos merito sibi spondere possit. Atque hoc illud est, in quo nunc etiam praecipuum studium, summaque cura est collocanda, et Iuuentus in mysteriis Fidei, vniuersaque *Religionis disciplina* amplius erudienda, confirmanda. Quapropter praeter duas per hebdomadam horas huic institutioni consecrandas, Dominici, Festiuique dies omnes, nullo, nisi forte publica Ecclesiae supplicatio intercedat, excepto, aliqua sui parte, post meridiem perinde ac mane, eidem Doctrinae sancte impendantur. Pia huiusmodi occupatio iam inde a teneris consuefaciet Adolescentes ad rite agendos dies cultui diuino dedicatos, et auocabit ab occasionibus vitiorum, quibus ipsi sibi relicti plerumque, nec sine periculo, sunt expositi. Ac-

C ce-

cedet ordinariis Scholarum diebus affine doctionis argumentum, Historiae e sacris vtriusque Testamenti codicibus selectae.

§. 39.

Proximum deinde locum *Lingua Latina* sibi vendicat, cuius vsus, vt nihil dicatur de praeclaris illis veteris Latii Scriptoribus, sine quibus vera, et genuina amaenioris Literaturae cognitio comparari non potest; cuius inquam vsus in Hungaria natiuus iam quodammodo est redditus, ac domesticus propterea, quod absque illius auxilio tam multiplices in Regno Nationes vix possent sese intelligere, atque commercium mutuum exercere. Quid? quod mysteria omnia Religionis, sacraeque functiones omnes latino sermone peragentur? Pandectae, quibus ista continentur et a vetustissimis temporibus, et hodiedum hac eadem lingua in lucem edantur, emanentque in publicum? Adde Leges omnes, Iuraque domestica latina oratione concepta; Regias item constitutiones, Mandata, et Rescripta ad pleraque Regni Tribunalia, et quosvis Magistratus transmissa eodem Stylo esse exarata; denique negotia omnia, cumprimis autem ad ius dicendum, iustitiamque administrandam

dam pertinentia in publicis Dicasteriis, in Comitatuum Conuentibus, in Vrbanis Foris latine pertractari; vt adeo de Linguae huius apud Hungaros necessitate ille tantum possit ambigere, qui in eorum rebus hospes plane sit, et peregrinus.

§. 40.

Non minorem in excolenda *Lingua Patria* adhibendam esse diligentiam, cultiorum in Europa Nationum exempla docent. Degeneris certe, neque Ciuitatis, in cuius sinu nos Mater natura posuit, rationibus conformatae indolis argumentum foret, natiuam Linguam in postrema curarum parte habere. Quare curandum est omni prorsus contentione, vt Linguae Hungaricae institutio pari cum ceteris Disciplinis gradu procedat, sitque studium eius in Hungaria ordinarium, et tot habeat Magistros, quot in Scholis Grammaticis, et Humanioribus sunt Praeceptores; qui cum Linguam, Autoresque Latinos; Historiam item, Geographiam, aliaque Studiorum capita tractaturi sunt, non solum vernaculo suorum Discipulorum idiomate, verum etiam Hungarico sermone vtentur in illorum gratiam, quibus iste nondum satis est cognitus, et vsitatus. Fructus ex hac docendi

methodo, vsuque quotidiano tanto certior existet, quanto campus institutionum est patentior, et opportunitas frequentior. Sane, nullus est iam hoc in opere tergiuersandi locus, posteaquam Linguae Patriae studium, et cultura omnibus Hungariae Gymnasiis, et Academiis Sanctione Regia, Legeque publica fuit demandata; ceteris autem Sacrae Regni Coronae adnexis Prouinciis pro institutione extraordinaria proposita: quibus vtique satisfuerit peculiarem Linguae huius Magistrum Latinis in Scholis conseruare, vnde spes suppetat futurum, vt sermo Hungaricus, isthic etiam sensim propagetur, et ciuitate donetur.

§. 41.

Linguae porro *Germanicae* subsidium in negotiis quotidianis, commercioque interno, et externo praecipuum, ac proinde vel propter ipsam, quae nobis sub communi Principe cum Austriacis intercedit, necessitudinem, librosque in omni genere praestantissimos admodum expetendum esse nemo non videt. Quamobrem multum interest, in delectu Magistrorum illud etiam adtente prouidere, ne vsquam desit, qui Linguam Germanicam docere possit illos, qui petunt. Ceterum nec aliae,

qua-

quarum in Hungaria vsus est frequentior, Linguae Vernaculae sunt negligendae.

§. 42.

Historiam testem esse temporum, et magistram vitae, vere dixit Tullius; quo proinde praeclaro adiumento Iuuentus Hungara priuanda non est. — Historiam tamen Vniuersalem cum ea, qua patet, amplitudine hic illi proponere idem sane esset, ac adolescentem in prouinciam quampiam vastissimam, plurimisque artis, et naturae operibus memorabilem mittere, vt emolumenta in posterum proficua inde reportet; simul vero peregrinandi tempus tam arctis limitibus circumscribere, vt vix sufficiat obseruandis viarum publicarum cursibus; vrgere denique, vt domum quantocyus reuertatur. Historia enim Vniuersalis est vastissima quaedam regio, plura annorum millia comprehendens, in qua versari cum fructu qui volet, minutatim indagare debet, quinam ab orbe condito surrexerint, floruerint, interierintque populi? quinam ex eorum ruina exorti? Videre item regnorum, religionis, regiminis, morum, scientiarumque vicissitudines, et euentus his affines, multoque plures. Hanc autem rerum tantarum molem

quis

quis prudenter imponat teneris etiamnum Puerorum humeris? Vt igitur ex Historiae studio solida quaepiam redeat vtilitas, praestabit peculiarem gentis vnius Historiam enucleate pertractandam summere; id quod in *Domesticam* inprimis conuenire in confesso est: vt scilicet aetas tenera Regum, quibus paret, res gestas norit; vt annales Populi, vnde originem ducit, et Regni, cuius ciuis aliquando erit, vicissitudines ediscat. — Quid vltra? anne tanta est Patriae Historiae egestas, vt careat exemplis, quibus Adolescentes inflammentur ad seruandam Principi fidem; ad amorem et obsequium Patriae; ad alias bono Ciue dignas virtutes? Immo vero, plena est adeo Historia nostra praeclaris, pulchrisque facinoribus, vt delectum eorum facere, Scholisque dare compendio iis maxime sit arduum, qui pleniorem temporum, rerumque gestarum cognitionem possident, virtutumque pretium propius vident, et penitius sentiunt.

§. 43.

Ad *Geographiam* quod adtinet: non alius est eidem finis praestitutus, quam vt Adolescentes regionis, quam in examen vocant, plenam adipiscan-

scantur notionem. Itaque ne labor aberret a proposito, in mentem venire identidem debet: in Scholis hisce erudiri Ciues Hungariae, ditionumque hereditariarum; ac proinde Patriae cumprimis cognitione esse imbuendos; deinde Regionum confinium, ac demum ceterarum Prouinciarum iuribus Austriacis obnoxiarum lustrationem suscipiendam. Siquid temporis etiamnum suppetat, percurri poterunt Territoria Regno Hungariae nexu aliquo, vel commercio deuincta. Cognitio Terrarum remotarum, et ad limites Europae; aut quod amplius, alio in orbe positarum illis Hungariae incolis, quorum educatio procuratur in Ludis Grammaticis, delectationi fortassis esse, veram quidem vtilitatem adferre vix potest.

§. 44.

Reliquae Studiorum materiae, apud omnes cultiores Populos passim receptae, in paginis sequentibus singulatim explicabuntur, et in Magistrorum officiis vberius declarabuntur; quibus omnibus rite pertractandis quadriennium constituitur. Tantum temporis spatium non esse praeter modum facile perspiciet, qui animum aduerterit ad aetatem, et vires Adolescentum ad Scholas

con-

confluentium dispares, variamque industriam; expenderitque praeterea Linguarum in Hungaria vigentium, atque ideo non paruam in communi institutione remoram facientium diuersitatem; Disciplinarum item, veram illam quidem, sed necessariam disparitatem, aliasque Scholarum occupationes, et exercitia; quae omnia id efficiunt, vt non tam cursim, quam pedetentim procedatur, et maturitas longiore nonnihil tempore, maioreque labore comparetur. — Euoluto quadriennio stadium Grammaticae terminatur; et Adolescentes partim ad suos remittuntur, partim ad Gymnasia Humaniorum Literarum traducuntur.

§. 45.

Quemadmodum autem non omnibus natura aequa lance dona sua distribuit; sed animi facultates apud alios citius, serius apud alios se se explicant; ita *in admittendis ad Scholas Discipulis aetas* quidem aequaliter apud omnes ad punctum definita spectari non debet; cauendum tamen, ne quis nonum ante annum e Ludis Vernaculis transire ad Latinos permittatur, nisi aduerteretur peculiaribus ingenii dotibus esse praeditus. — Sed nec adultior cuiuspiam aetas satis erit causae, vt

re-

recipiatur, si in minoribus et praecedaneis Scholarum classibus cum exiguo operae pretio sit versatus: haec enim facilitas futurae eiusdem vitae rationibus damno potius esset, quam emolumento. Igitur, haec erit vniuersalis in Scholis Latinis, et stricte obseruanda cum candidatis regula: Qui in publico quodam Literarum domicilio notam primae, vel secundae studiorum classis reportarunt, admittentur, gradumque facient ad Scholam altiorem; qui vero ex institutione domestica, pleneque priuata accesserunt, seuere pertentabuntur a Praefecto, Scholaeque Magistro; et nisi de certa rerum necessariarum scientia, plenaque eorum habilitate compertum fuerit, in numerum discipulorum cooptari neutiquam poterunt.

§. 46.

Annus Scholasticus ampliores quondam terminos habuit; Institutionibus autem quotidianis quinque horae fuere impensae; Remissioni demum sola dies Iouis concessa. At cum animaduersum sit, vires Praeceptorum nimia contentione vehementer adfligi, Adolescentes e locis etiam magis disiunctis ad Scholas conuenire, et longe lateque per vrbem sparsos habitare, domesticae Studiorum

prae-

praeparationi, ac repetitioni, rebusque necessariis parum temporis superesse; expedit, vt et *tempori Institutionum* noui cancelli circumdentur, *et Remissionibus*, ne vel odium studiorum faciant negatae, vel otii consuetudinem nimiae, modus statuatur. Quem in finem sequentes sanciuntur regulae:

a) Annus Scholasticus cum exordio mensis Nouembris inchoatur, et cum octaua Septembris concluditur.

b) Dies Dominici, et Festi rebus diuinis consecrantur, et ad eos, nullo, nisi Populi supplicatio publica interueniat, excepto matutina, pomeridianaque hora conuenitur.

c) Dies quoque Augustissimorum Principum natalis, et onomasticus festus habebitur, votisque pro incolumitate Augustae Familiae concipiendis dicabitur.

d) Primae tres Hebdomadae sanctae feriae, seu dies Lunae, Martis, et Mercurii, sermonibus, et exercitiis pietatis de more impendentur, et Iuuentus ad adeunda Poenitentiae, Eucharistiaeque Sacramenta praeparabitur; ceterae priuatae pietati committentur.

e)

e) Institutionibus quotidianis quatuor duntaxat horae, sed ea lege assignantur, vt Iuuentus quadrante horae prius adsit, et recenseatur; ac quae data sunt pro domestico memoriae exercitio pensa, intra hoc tempus, reddantur, et quaternis doctrinarum horis nihil prorsus decerpatur.

f) Cessationi dies Martis media, et Iouis integra, nisi Festum per hebdomadam veniat intercalare, conceditur. Huc etiam referri potest peruigilium Natiuitatis Domini, triduum antecinerale, et ipsa dies Cinerum media: ac denique feria tertia Pentecostes. His alias addere, aut Discipulos pro festis extra Scholarum domicilia dimittere, nulli liceat, sitque semper seuerissime interdictum.

CAPVT II.

De Studiis in Scholis Grammaticis anno primo.

§. 47.

Annus iste, qui quadriennium Grammatices aperit, et primus hic esse dicitur, hactenus tertium in Scholis Vernaculis locum occupauit, Classemque distinctam fecit; in qua pueri primis Linguae Latinae rudimentis solebant imbui, et ad Stadium Grammaticum praeparari. Videtur autem magis ad rem futurum, si omnis haec Schola, cum illis nimirum Studiorum argumentis, et exercitiis, quae ibidem propria habuit, ad veterem sedem referatur, corporique suo vniatur, ac inde gradatim ad reliquos Grammaticae annos procedatur. Quare in omnibus iis Vrbibus, vbi Ludi sunt Grammatici, seu illi sint soli, seu cum Gymnasio constituti, facienda est haec Scholae translatio, et vnio simul cum sua dotatione, redintegrandum Grammaticae corpus, et auspicandus Cursus quadriennis.

§. 48.

§. 48.

Cum autem tertia illa Scholarum Vernacularum Classis in quibusdam Vrbibus, Oppidisque sit erecta, et constabilita, quae Ludis ceteroquin Latinis instructa non est; fas erit eam pro maiore Puerorum, Parentumque commodo, ac sumptuum compendio vltra quoque suo in statu retinere, et normae Studiorum primo Grammatices anno praescriptorum adcommodare, si per se subsistat, et nullum e communi Scholarum publicarum aerario subsidium habeat, deposcatque; secus enim claudi, desinereque illam omnino oportebit. Porro, vt hoc etiam constet: accessus e Schola tali sibimet relicta ad secundam Grammatices Classem iis duntaxat patebit, qui se probe instructos esse facto coram Praefecto huius, et Magistro tentamine demonstrauerint.

§. 49.

Studia, occupationesque huius anni sunt:

a) *Doctrina Religionis* Christianae, prolusiones ex Historia Biblica veteris, et noui Testamenti.

b) *Exercitium Lectionis*, *et Scriptionis* in typo, et Scripturis variis; idque in Lingua Latina, Hun-

Hungarica, et aliis, quae sunt in loco vernaculae. Speciatim adtendetur ad pronunciationem genuinam, et scribendi rationem rectam, nitidamque.

c) Exponentur *Principia Linguae Latinae*, et eousque deducentur, vt Tirones praecipuas, siue octo partes orationis dignoscere, et qui sunt felicioris ingenii, verba etiam in breues, simplicesque sententias componere nouerint.

d) Interponetur studium *Arithmeticae*, et ordinate per suas species, propositis in tabula exemplis, tractabitur. — Distributio horarum et studiorum erit vbique eadem; ceterum Magistrorum est videre: vbi, et qua in parte, quaue de causa deficiant discipuli? et illi Disciplinae plus operae impendere, in qua defectum obseruauerunt. Videatur ad calcem Tabula V.

CA-

CAPVT III.

De Studiis in Scholis Grammaticis anno secundo.

§. 50.

Si ea, quae *de ratione scribendi* iam fuere praecepta, accurate praestentur, fieri non potest, vt Tirones plerique huc translati scripturam secum non adferant satis castigatam. Vt autem facultatem, literas linguis vsitatis conformandi, omnibus numeris absolutam sensim adipiscantur, *Formulas* quidem prorsus easdem, quibus adhuc insueuerunt, sed tamen plagulis aliquot auctiores hic sibi propositas habebunt, seque in earum imitatione domi potissimum, vt tempus Scholarum aliis materiis impendi possit, exercebunt; Scripturas nihilominus illas domesticas qualibet hebdomada recognoscendas Magistro exhibebunt.

§. 51.

In Scholis anterioribus primae saltem *Numerorum* integrorum *species* fuere propositae, et tracta-

ctatae; restat, vt Iuuentus huius anni tam in vsu eorum assidua exercitatione confirmetur, quam etiam in Fractionum notitia erudiatur ad ductum Libelli, quo non regulae solum et exempla, sed accuratae etiam definitiones, atque inde pendentes praeceptorum demonstrationes continentur.

§. 52.

Nihil est, quod teneris mentibus magis infixum haereat, quam rerum gestarum memoria; trahit enim suapte ad imitationem virtutum exemplum; imago autem vitii viuis depicta coloribus horrorem incutit; et nulla est tam iuuenilis aetas, quae huic non sit idonea studio. Quin immo insita discendi cupiditas, arrectus animus, viuida reminiscendi potentia, totidem sunt instrumenta, quae natura Pueris subministrat; nec alia praeterea opus erit industria, quam simplici euentorum enarratione, vt ad exemplorum animo impressorum aemulationem accendantur. Quid autem huic rei magis opportunum, quam *Historia Biblica?* quae cum scientia Religionis Christianae ita est connexa, vt hic iam, vbi Adolescentes plenam Catechismi sui notitiam comparasse sunt censendi, vtilissime narrari, et non vltra diferri possit.

In

In qua ipsa tamen sobrie versandum erit, neque permittendum, vt gesta Patriarcharum, Ducum, Iudicum, aut Regum connexe, continenterque proponantur; maturiorem ista indolem postulant, et ea, quae huic aetati conueniunt, delectare debent. Neque caret exemplis eiusmodi seu vetus, seu nouum Testamentum; quae omnia apte delecta, et digesta comprehendentur libello institutioni huic destinato, et consectaria e narratione qualibet sponte fluentia epilogi instar vbique subnectentur.

§. 53.

In *Geographia* vt initium fiat *ab Hungaria*, et inde excurratur ad Prouincias eidem copulatas, charitas Patriae postulat. Quibus adminiculis eo sit accedendum? haec, et alia pro Scholis Grammaticae dicentur in instructione Magistrorum.

§. 54.

Latinitatis institutio ad tria potissimum capita reuocabitur; nimirum

a) Vt Adolescentes, quantam maximam poterunt, vocum copiam memoriae imprimant.

b) Vt regulas eiusdem sermonis clare, et distincte peruideant.

c) Vt facultatem latine legendi et scribendi consequantur. Ad primum assequendum necesse erit, vt, quamprimum studio huic addicuntur, primitiua Linguae vocabula plurima memoriae mandent, recolantque frequentius. Hoc autem ipsum facilius obtinebitur, si Magister delectum vocabulorum pensum per quempiam e Discipulis elata voce recitari iusserit; si exerrantem pronunciationem publice emendauerit; si vocabulorum non sensum modo, ac vim explanauerit, verum congruas quoque adtulerit animaduersiones. Ex primitiuis id genus vocabulis contexentur argumenta breuissima, e norma regularum analytice explicanda, ac in vernaculam etiam linguam traducenda. — Argumenta porro hunc in modum composita domi vnusquisque describet, et proxima occasione in Scholis Magistro reuidenda dabit, errata corriget, et sic demum nitide in aduersaria referet; vt eadem opera suus etiam exercendae Calligraphiae sit locus. Proponetur praeterea illa Grammaticae Sectio, quae de octo, vt dicunt, orationis partibus agit. Vt autem vis regularum mentibus clare imprimatur, vernacula potissimum lingua explicabuntnr.

§. 55.

§. 55.

Pro *Chrestomathia* Latina, quo nomine selecta Sermonis exemplaria veniunt, desummentur Sententiae quaedam morales, Adagia, Colloquia familiaria, Fabulae. — Quisque autem locus tamdiu erit versando repetendus, dum constet, materiam subiectam a plerisque plene fuisse comprehensam. Denique in analyticis id genus exercitationibus, verbo et scripto frequentandis; ostendetur etymologia, et vbique tam genuinae Pronunciationis, quam Orthographiae regularis cura habebitur. Tempus, et ordinem rerum designat Tabula V.

CAPVT IV.

De Studiis in Scholis Grammaticis anno tertio.

§. 56.

Doctrina Christiana per nouas accessiones cumulabitur, adductis exemplis e Libris sacris, inspersisque Ethicae Christianae praeceptionibus.

§. 57.

In *Arithmetica* consequuntur Proportiones, variaque Regulae aureae genera, quorum in negotiis quotidianis vsus est amplissimus; exempla depromentur ad imitationem normae in Libello praestitutae.

§. 58.

Historia Hungariae initium capiet a breui in ipsam introductione, et vtilitatis eiusdem expositione; deinde sequetur succincta rerum selectarum enarratio a primo Hungarorum in has terras ingressu, et deducetur ad annum vsque 1526 clade ad Mohacsium accepta memorabilem.

§. 59.

§. 59.

Geographia versabitur primum circa Transiluaniam, Galliciam, Lodomeriam, et Bukouinam; tum transferetur ad Prouincias Portae Ottomanicae subditas, praecipue illas, quae quondam iuribus Regni Hungariae fuerunt obnoxiae, vt sunt Bosnia, Seruia, Bulgaria, Valachia, et Moldauia.

§. 60.

Studium *Linguae Latinae*, qua coeptum est ratione, continuabitur, et nauiter vrgebitur. Posteaquam Adolescentes haud paruam primitiuorum supellectilem anno superiore congesserunt, crebriusque repetendo menti altius impresserunt, et assidua exercitatione satis familiarem sibi reddiderunt, facile iam consequentur, vt duce Magistro, et semitam complanante, sparsa haec in mente vocabula sensim in vnum cogant, inchoatum Latinitatis aedificium altius adtollant, et facultatem non recte modo scribendi, sed loquendi etiam prouehant.

§. 61.

Exemplis Regularum Grammaticae seruient Dialogi, et Progymnasmata vrbanioris commercii gra-

gratia conscripta, in quibus quaestiones quaedam peculiares, argutae cogitationes, et amoenae historiae comprehenduntur; quae cum Latinitatem docent, adtentionem etiam, atque imitandi prouocant cupiditatem. — Succedent breuiores Ciceronis Epistolae, Cato maior, Somnium Scipionis, Loci illustriores e Cornelio Nepote, Floro, et Iustino. Plus autem operae impendetur interpretationi, traductioni, imitationi, analyticae exercitationi, atque Thematum compositioni, quam Regularum Grammaticae explicationi. Distributionem harum Materiarum vide in Tabula VI.

CA-

CAPVT V.

De Studiis in Scholis Grammaticis anno quarto.

§. 62.

Supremae Classi Grammaticae Latinae tribuitur *Syntaxis Ornata*, quae praecipuas Linguae virtutes, vtpote Puritatem, Elegantiam, et Copiam, Figurasque sibi proprias docendo persequitur. Accedit non postrema Grammaticae portio *Prosodia*, non tam vt hic ex Arte Metrica versus componantur, quam vt e regulari syllabarum mensura verus, ac naturalis in enunciatione verborum sonus procuretur. Parcendum non est labori, vt omnis inde turpitudo auertatur, et ne aures etiam audientium offendantur, Euphonia orationis ope Prosodiae obtineatur.

§. 63.

Exemplaria Latini Sermonis, praecepta Grammatica, et in specie Syntaxim Ornatam illustrantia, depromentur

a) e

a) e Narrationibus Ciceronis, Sallustii, Iulii Caesaris, et Curtii;

b) ex Epistolis itidem Ciceronis maioribus, Plinii, et Senecae;

c) e Dialogis Comicis Plauti, et Terentii.

d) Ad Prosodiam, et discrimen illud peruidendum, quod est Prosam inter, et Versam orationem, vnum alterumue articulum sufficiet Ouidius.

§. 64.

Schola ista primum *exercebitur* in analysi, et synthesi variorum Thematum ad leges Syntaxeos; posthac conuertetur ad imitationem Autorum, quorum paradigmata fuere producta; tentabit breues Periodos, et Nuncia; construet Narrationes, Epistolas, Dialogos non Latino tantum, verum etiam Patrio sermone, argumentis e quotidiana vitae consuetudine petitis; denique, si Magistro, spectato suorum ingenio, et in vsu Grammaticae profectu, visum fuerit, prope finem anni scholastici ducet aliqua Carminis condendi lineamenta, et num versificare possint? experietur.

§. 65.

Dogmata, praeceptaque *Religionis Christianae* non e diuinis solum vtriusque Testamenti Libris,

sed

sed ex Humanitate quoque actionum, et sana *Morum* Philosophia, naturaque rerum locupletetur, sitque institutio tota moralis, et actuosa.

§. 66.

In *Historia Hungariae* adsummetur Tertia, vt iam dici sueuit, Periodus, principio inde a Ferdinando I Imperatore facto; atque ita deinceps percurretur Austriaca Regum series, et cum hodierno feliciter regnante Principe terminabitur.

§. 67.

Geographia hoc anno erit amplior; complectetur enim Prouincias illas omnes, quas Augusta Domus Austriaca extra Hungariam iure hereditatis possidet in Germania, et Italia. Paucioribus agetur de Polonia Russica, et Borussica, Silesia, Saxonia, Bauaria, Sacro Romano Imperio, et Heluetia. His peragratis adferetur in medium Sphaera armillaris, et Globus terrestris artificialis, dabiturque notio Geographiae Mathematicae magis particularis, quam in secunda Grammaticae Schola fieri potuerit; ostendetur vsus Globi huius varius, et breui narratione percensebuntur res magis memorabiles ad Tellurem vniuerse adtinentes.

Quid?

Quid? quod adnectenda sit etiam compendiaria Geographiae historia.

§. 68.

Quae in *Arithmetica* superioribus annis pertractata sunt, isthic ad casus multiplices in vita humana, pro statuum, et conditionum varietate occurrentes adplicabuntur. Specialiter autem adhibebitur opera, vt proposito quocunque Problemate Arithmetico, riteque expenso quaestionis statu, continuo discernere auditores incipiant: quonam operandi genere in eiusdem resolutione sit vtendum? idque promptissime exequi norint. — Huc pertinet pars altera Tabulae VI.

CAPVT VI.

De Libris Institutionum in Scholis Grammaticis.

§. 69.

Hos quidem oportet esse praestitutae studiorum rationi perfecte conformatos; sed cum adhuc non omnes sint vndique tales, interea, dum huic defectui per nouos succurratur, vsus veterum continuari potest, modo Praeceptores suas inde institutiones datae superius normae adtemperent.

§. 70.

Primo Scholarum Grammaticarum anno deseruient:

a) Catechismus proprius.

b) Historia Biblica confirmandis, illustrandisque Religionis Christianae dogmatis adcommodata.

c) Exemplaria Calligraphiae.

d) Aluari Principia Linguae Latinae recognita, et emendata, rectumque in ordinem redacta; seu Institutionum Grammaticarum Liber primus.

e)

e) Arithmeticae Pars prima e Latino in Vernaculum traducta.

f) Libellus vulgo Lectionis varia Morum praecepta complexus.

§. 71.

Anno altero ad priores accedet

a) Chrestomathia Latina.

b) Compendium Geographicum Hungariae post exemplar Cl. Mat. Belii auctum, et emendatum cum Supplemento Regnorum Sclauoniae, Croatiae, et Dalmatiae.

§. 72.

Tertiae Grammatices Classi praeter Libellum Religionis, et Normam Scripturae elegantioris vsui erunt:

a) Institutionum Grammaticarum Liber secundus de Syntaxi, seu constructione octo partium Orationis.

b) Chrestomathia Latina.

c) Historia Hungariae ad annum 1526 in compendiolum redacta ex vltimo Cel. Historiographi Georgii Pray opere.

d) Arithmeticae Pars secunda Latina.

e) Geographia Transiluaniae, Galliciae, et Lodomeriae e Supplemento, quod Compendio Geogra-

graphico Hungariae adnectitur; item Turciae Europeae ex Introductione Ioannis Tomka Szászky, quam Cl. Ioannes Seuerini emendauit, et auxit.

§. 73.

Ad vltimum stadii Grammatici annum referuntur nominatim

a) Syntaxis Ornata, et Grammaticae Latinae Liber tertius de dimensione Syllabarum.

b) Chrestomathia propria.

c) Historia Hungariae a regimine Ferdinandi I ad nostra vsque tempora ex opere Cel. Pray, vt supra, in summarium collecta.

d) Institutionum Arithmeticae Pars tertia.

e) Pro Geographia Prouinciarum, quae Classi huic sunt addictae, seruire potest Szászky Introductio ante indicata, et supplementis aucta.

f) Libellus Religionis, qui prius.

SE-

SECTIO III.

DE GYMNASIIS.

CAPVT I.

De Studiis Gymnasiorum generatim.

§. 74.

Nomine *Gymnasiorum* apud nos eiusmodi veniunt Bonarum Artium domicilia, in quibus non occasio solum praebetur Iuuentuti ea, quae in Scholis Grammaticis pertractata sunt, plenius condiscendi, sed opera adhibetur etiam, vt in Literis, quae ab Humanitate, et Elegantia nomen acceperunt, moreque recepto Rhetoricam, et Poeticam comprehendunt, aliisque subsidiariis Scientiis instituatur: vnde existit necessitas ad quatuor ordinarios Grammaticarum Scholarum Magistros duos insuper Moderatores cum nomine Professorum adiungendi. Talia Literarum Instituta tam-

etsi

etsi longe lateque sint distributa et multiplicata, tamen si Patroni Musarum pro maiore ciuium, regionumque commoditate numerum eorum suis e vectigalibus exaugere voluerint, ea lege licebit: vt Scholarum, Magistrorumque necessitati et stabilitati omni ex parte, atque in perpetuum consulatur, et publico Studiorum aerario nullum vnquam onus imponatur. Vt autem inter Gymnasia maior foueatur stimulus, et aemulatio, placuit duo eorum genera vltra conseruare, et illa, quae in Regni Metropoli Buda, certisque Academiarum sedibus sunt collocata, titulo *Archigymnasiorum* insignire, et ista quasi honoris praerogatiua discriminare. Agant igitur, vt aliis exemplo sint, et imitationi.

§. 75.

Ex iis porro, quae de Scholis Grammaticis diffuse sunt commemorata, facile intelligitur, Adolescentes, siquidem Magistri aeque, ac Discipuli suo functi sunt munere, conuenientem obtinuisse scientiam in mysteriis, et praeceptionibus Religionis Christianae, in recte, belleque scribendi ratione, in Vernaculis, et Patria, Latinaque Lingua, in Historia Hungariae, et Geographia

Pro-

Prouinciarum finitimarum, ac demum in Arithmetica; atque haec esse erudita illa subsidia, quibus instructos arenam Gymnasiorum ingredi, et cum locupletiore talium rerum cognitione ad Disciplinas Humaniores contendere oportebit.

§. 76.

Cursus *Doctrinae Christianae*, et *Moralis* his in Scholis est biennis; eapropter materies ista vniuersa bifariam diuidetur, et altera eius pars tribuetur primo, altera secundo Humanitatis anno; explanabitur autem voce Latina vel per singulos suis in Classibus Professores, vel per alterutrum eorum, Auditores duarum Classium in vnum conuocando, et institutiones Catecheticas per vices omni biennio alternando. Vtrum horum praestet? et an istud, vel alterum sit statuendum? Gymnasiarcha suo iudicio decernet. Illud debet esse sanctum, et inuariabile: vt sacrae huic doctrinae duae per hebdomadem horae absque defectu per Professores; festis autem diebus, per ordinarios Gymnasiorum Curiones, seu Exhortatores mane, a meridie impendantur ea tempora, quae iam olim erant constituta, et in morem deducta.

§. 77.

Materiam *Calligraphiae* subministrant Lucubrationes Literariae; in quibus pulchre, correcteque describendis Iuuenes non solum nulli parcent operae, sed etiam id, quod a Magistro correctum est, nitide describent, adiectoque die, et anno Gymnasii Directori quouis mense exhibebunt, vt diligentiores pro merito collaudari, negligentes autem ad maiorem industriam excitari possint: Venustiora autem Scripturarum harum paradigmata in publicis tentaminibus Auditorio inspicienda proponentur. Haec vtique merito expectari possunt a Iuuentute scholastica Grammaticae Classes iam emensa; sed restat tertia Scripturae dos *Tachygraphia*, seu celeriter scribendi facultas, Gymnasiorum labor. Vt igitur haec iisdem concilietur, in variis, de quibus sermo recurret alibi, occasionibus lente erit dictandum semestri primo; postea vero sensim celerius; adhibita tamen etiam prouidentia, ne, dum in celeriter scribendo exercentur, ipsam correcte, nitideque scribendi consuetudinem amittant.

§. 78.

Quotidiana docemur experientia, nihil tam cito dilabi e memoria, atque *Arithmeticam*, si re-

gulae vel non sint penitus intellectae, vel in vsur frequenti exercitatione deductae, et familiares rec ditae. Quamobrem non erit abs re, si ea, qua in Scholis Grammaticis sunt tradita, repetantu in Gymnasiis, atque ita Numerorum tractando rum consuetudo, fiat iisdem quam max me expedita. Cum autem multi talium Alumnc rum absolutis Gymnasiorum studiis ad capessei da Oeconomica in Ciuitatibus, aut Dynastiis mu nia animum adiungant, institutio Arithmetica vberior, et ad receptam in rebus Oeconomicis r: tiones ducendi normam adcommodata erit iisdei adhibenda.

§. 79.

In Grammatica limites certi *Linguae Latin* erant positi: tota quippe restringebatur ad conse quendam verborum copiam, puram elocutionem rectum loquendi modum, atque ad eiusmodi a gumenta contexenda, quae in vita communi cr brius occurrunt; ipsa vero Linguae vis, et ind les, totaque *Solutae*, atque *Ligatae Eloquenti* ratio Gymnasiis fuit reseruata: quare vela paul magis iam erunt explicanda. Eum in finem tame si versari prae oculis debeat: Tirones ad studi

Hu-

Humanitatis accinctos nec aetatem adferre satis adhuc maturam comprehendendis sublimioribus Orationis solutae, ligataeque praeceptis, ac fontibus; nec ingenium praeuiis excultum notionibus earum rerum, sine quibus solida huius scientiae tractatio suscipi nequit; non tamen idcirco erit putandum, eosdem perduci non posse ad gradum quemdam Eloquentiae aetati conuenientem; modo delectus rerum apte instituatur.

§. 80.

Quaenam huc redundet vtilitas ex institutione *Logicae*, quisque facile perspiciet, si consideret, in decursu Gymnasii eiusmodi oportere tractari Studia, quae rectum omnino rationis vsum deposcunt. Ita enim sunt a natura comparata, vt nemo in iis cum fructu versari possit, nisi ante ad rite ordinandas cogitationes informetur. Igitur statim principio proponenda erit Logica quaedam, tamquam in Rhetoricam introductio, sic adornanda, vt eiusdem ope Iuuenes ad cogitata sua recte ordinanda, et institutiones maiore cum fructu excipiendas praeparentur; reliqua autem cum ipsa Rhetorica, vt ordo feret, pertractentur: vnde Logicam cum Rhetorica eodem comprehendere

Libro, immo maxima ex parte permiscere est ne-
cesse.

§. 81.

Stylus, quem adhuc ex institutione Linguae
Latinae, Autorum lectione, variaque scribend
exercitatione Tirones Eloquentiae sibi compara-
runt, hic magis erit perpoliendus; intendenda es
idcirco opera, vt quae per Grammaticae anno
proposita fuerunt, isthic eorundem mentibus altiu
imprimantur, et ad pleniorem perfectionem proue
hantur.

§. 82.

Cum vero Stylus non multa, et promiscu
Autorum lectione comparetur, sed si lectu digna
et ad finem propositum conducentia adtente no
tentur, et retineantur; necesse erit, vt *Chrestoma
thia*, delecta Autorum probatorum loca comple
ctens, in manus tradatur; quae saepius resummi
eoque maiori cum fructu repeti possit, quo am
plior e repetita id genus institutione campus ape
rietur in amaenitates Linguae per decursum Gram
maticae minime animaduersas penetrandi, eos
demque Libros crebrius recolendi. Vt autem Alu

mni

mni Literarum Humaniorum diligentiores, quales erunt multi sub industrioso Praeceptore, opportunitatem habeant eorum opera integra cognoscendi, quorum selectas partes iam in Chrestomathia delibarunt, Gymnasia omnia Autoribus Classicis erunt instruenda. Qua quidem ratione id etiam efficietur, vt cum eorum notitia sensus etiam Pulchri, seu Bonus Gustus latius propagetur.

§. 83.

Porro ad Autores penitius intelligendos, pleni oremque Linguae notitiam procurandam *Antiquitates Graecae, et Romanae*, quae ipsam etiam Mythologiam complectuntur, vtroque Gymnasii anno diligenter erunt explanandae. Haec omnia *Archaeologiae* nomine veniunt.

§. 84.

Historia Naturalis tanto maiorem a nobis curam deposcit, quanto plures sunt eius opes in Hungaria. Quid enim istae, nisi probe cognoscantur, et in vsum, vtilitatemque conuertantur? Excitabuntur ergo Candidati Eloquentiae ad contemplationem Naturae; ostendentur illis tria Regna eo prorsus ordine, quo solent distingui; et primo

Gymna-

Gymnasii anno regnum duntaxat Animalium, late alioquin diffusum, per partes et vices lustrabitur; altero deinde regna Vegetabilium, et Mineralium in censum institutionis vocabuntur. Producentur opera Naturae, sed parce, et cumprimis illa, quae sunt indigena, et domestica, habentque frequentem in re rustica, et ceteris Oeconomiae, Commerciique partibus commeatum, ac vsum. Vbi autem agetur de Homine, ea etiam proponentur, quae ad valetudinem, vitamque producendam emolumento esse possunt. Haec, et similia non tam anatomice, chemice, et systematice, quam historice, et per characteres vi sua in sensus occurrentes, iamque fere aliunde notos recensebuntur, vt cupiditas aliqua, non autem taedium, et satietas generetur. Adiumento hic erunt aliquae Rerum Naturalium collectiones, et iconismi; quorum conspectu Iuuentus absque magno memoriae, phantasiaeque suae labore discet sensim naturam nosse; et quae hic caepit Scientiae huius amaenissimae, vtilissimaeque primordia, ac lineamenta, venturis annis continuare, nouisque incrementis augere suapte sponte laborabit.

§. 85.

Studium *Historiae* iam delibatae cum altiore Scholarum gradu prouehere, latiusque porrigere conuenit; ac proinde, quae ad Ciuilem, Ecclesiasticam, et Literariam Patriae, Ditionumque Caesarearum notitiam pertinent, compendio exhibere; id quod facile obtinebitur, si Historiae *Hungariae* politicae suis locis apte inserantur, quae ad Rempublicam siue Sacram, siue Literariam faciunt; in tertia vero Historiae nostrae periodo gestis eorum Regum, qui simul erant Electi Romanorum Imperatores, ea quoque adnectentur, quae in Augusto hoc Principatu gesserunt. Sed et res gestas anteriorum Caesarum vsque ad Rudolphum, Austriacae Domus Fundatorem, paucis perstringentur; qua occasione reliquarum ditionum ad iura Domus eiusdem pertinentium notitia Synchrona innectetur, atque ita membra in plures antea partes distracta in corpus coacta vno velut obtutu proponentur.

§. 86.

In Scholis Grammaticae vmbratilis quaedam peregrinatio in confines Comitatus, et Prouincias fuit suscepta; vt scilicet via Naturae plurimum

con-

conformi prima *Geographiae* elementa memoriae puerorum inserantur. Hic iam initium ducetur a generalibus Geographiae principiis; ac semestri primo ostendetur structura, et vsus Globi terrestris; deinde in Mappa exhibebuntur quatuor Orbis partes; speciatim vero Regna, et Prouinciae Europae. Reliquis Gymnasii semestribus recolentur, et distinctius explicabuntur cetera, quae in Scholis Grammaticis fuere pertractata. Ita vero explanabitur aeui recentioris Geographia, vt eidem veteris quoque Orbis descriptio vbique inseratur, locaque, et regiones nouo Orbe contentae occasionem praebeant veterem regionum, ac locorum situm cognoscendi. Qua notitia imbuti discipuli veterum Autorum libros facilius, et penitius intelligent.

§. 87.

Quae de anno Scholastico, diebusque dominicis et festis; de exercitiis pietatis, triduo sacro, horis institutionis quotidianae, et diebus remissioni indultis prolixius fuere praescripta §. 46. huc quoque referenda, obseruandaque sunt.

CAPVT II.

De Norma Studiorum in Schola Humanitatis anno primo.

§. 88.

Biennium Gymnasiorum Studiis Humanitatis destinatum in quatuor semestria spatia diuidere placuit, tum vt elapso quouis semestri Tentamina consueta peragi, tum vt pertractandis, absoluendisque Disciplinis illis, quae toto Gymnasii decursu durare non debent, certa et definita tempora tribuantur. Anno Humanitatis primo haec erunt Studiorum genera:

a) Doctrina Christiana diebus Scholarum a Professore, Festis autem a Sacro Gymnasii Curione nouis curis resummenda, et accessionibus augenda.

b) Orthographia, Calligraphia, accedente Tachygraphia.

c) Arithmetica repetenda, nouisque Oeconomicis exemplis, quae a Moderatore ipso adiicientur, illustranda.

d)

d) Logica, siue ars recte cogitandi, et ratiocinandi, quae introductionis instar viam ad studium Eloquentiae praemunire debet.

e) Praemissa Prosodia Eloquentiae pars prima. Artem complectens oratoriam.

f) Chrestomathiae Latinae pars, quae loca Autorum continet formando Stylo oratorio idonea.

g) Exercitationes Styli Extemporales, Hebdomadariae, et Menstruae.

h) Antiquitates Graecae, et intexta suis locis Graecorum Mythologia.

i) Historia Naturalis, et quidem regnum Animalium cum Anthropologia.

k) Institutio Historiae a Ducibus Hungarorum ordienda, et ad Ferdinandum I. perducenda.

l) Geographia, vbi, quae in Scholis Grammaticae explanata fuerunt, breuiter repetitis, ab vniuersali Scientiae huius notione ducetur initium; deinceps agetur de Mathematica Globi terrestris structura, eiusdemque vsu; ac demum Europa, et Asia perlustrabuntur.



CAPVT III.

De Norma Studiorum in Schola Humanitatis anno secundo.

§. 89.

Argumenta Studiorum altero Humanitatis anno sunt ista:

a) Vt supra dictum, sacra Religionis, et Morum institutio.

b) Orthographia, et quae huc refertur, belle, citoque scribendi ratio, ac consuetudo.

c) Arithmetica, cuius amplior vsus isthic ad modum Rationes oeconomicas ducendi, qui multiplicem habet in vita Ciuili vsum, adcommodabitur.

d) Poetica, siue altera Eloquentiae pars, quae tametsi summas artis praeceptiones communes habeat cum Oratoria, speciatim nihilominus in tam multis ab eadem dissidet, vt merito aliud Eloquentiae genus constituere, peculiaremque institutionis partem sibi vindicare videatur. Docebi-

bitur autem primum generatim; deinde ad omnes Poeseos species eo, quem liber scholasticus exhibet, ordine descendetur. Si qui naturali quadam inclinatione ad Poesim, et condendos versus ferantur, ostendantque igniculos et ingenium, par erit gliscentes eiusmodi scintillas curatius fouere, naturaeque fomitem, atque alimentum vltra subministrare, ac eosdem in concinnandis etiam versibus exercere: Styli tamen soluti vsus, et exercitatio hoc etiam anno continuabitur.

e) Ea quoque Chrestomathiae Latinae pars, quae Poetas continet, seruit Stylo Poetico perpoliendo.

f) Exercitia Styli tam Oratorii, quam Poetici ad augendam, exercendamque Eloquentiae Latinae facultatem conducentia, veluti antea, ex tempore, et intra hebdomadem, ac mensem sine intermissione continuabuntur.

g) Antiquitates Romanae; quibus, quemadmodum de Graecis primo Humanitatis anno dictum est, Mythologia Romanis propria inspergetur.

h) Ex Historia Naturali regnum Vegetabilium, ac Mineralium.

i) Hi-

i) Historia Hungariae inde a Ferdinando I. ad hodierna vsque tempora, methodo in superioribus iam iam indicata, pertexetur.

k) In pertractanda Geographia reliquae Orbis terrarum partes, Africa videlicet, et America exponentur; concludetur institutio, breui epilogo, eorum, quae utroque Gymnasii anno sunt tradita, summarium exhibente. — Seriem praelectionum, et exercitationum pro vtroque Scholarum Humaniorum anno habes in Tabula VII.

CAPVT IV.

De Libris Institutionum ad Scholas Humanitatis pertinentium.

§. 90.

Quod de Libris Scholarum Grammaticarum dictum fuit §. 69. huc quoque referendum est: non omnes ita esse comparatos, vt non alii quasi succenturiari debeant. Vsum tamen, fructumque dare possunt bonum docente, et ad regulas respectante Professore, dum aliqui meliores, et normae Studiorum plene respondentes in manus tradantur.

§. 91.

In prima Humanitatis Classe institutionibus habendis deseruient sequentes:

a) Doctrina Christiana, Historia Religionis, et Disciplinae Ecclesiae Romano-Catholicae locupletata, et nouis nunc primum curis elaboranda.

b) Exemplaria Calligraphiae cum Scholis prioribus communia.

c) Institutiones Arithmeticae in vsum Gymnasiorum pluribus incrementis auctae. Partes III.

d) Ars recte cogitandi, ea praecipue continens, quae viam ad Artem Oratoriam praemuniunt ex Libello in vsum Gymnasiorum edito.

e) Dominici de Colonia de Arte Rhetorica Libri quinque lectissimis veterum Autorum aetatis aureae, perpetuisque exemplis illustrati.

f) Chompre Selecta Latini Sermonis Exemplaria; Vol. IV. et V.

g) Pro Archaeologia Graeca Lamberti Bos Antiquitatum Graecarum Descriptio breuis.

h) Primae Lineae Historiae Naturalis Cl. Ludouici Mitterpacher; et quidem Regnum Animale.

i) Historia Regum Hungariae, ducto a septem Ducibus exordio ad Ferdinandum I. autore Cel. Prayo.

k) In Geographia noui, et antiqui Orbis hoc, et altero anno auxiliari potest, veluti in Grammaticis, Szászky cum Seuerino.

§. 92.

Ad alterum Scholarum Humaniorum annum praeter vsitatos Doctrinae Christianae, et Arithmeticae Libellos referuntur:

a)

a) Iosephi Iuuencii Institutionum Poeticarum Libri quinque, eadem, quae est in Arte Rhetorica, methodo conscriptae.

b) Chompre Selecta Latini Sermonis Exemplaria Vol. V. et VI.

c) Antiquitates Romanae ex opere G. H. Niepoort iam vsitato.

d) Historiae Naturalis Regnum Vegetabile, et Minerale, duce Cl. Abbate Mitterpacher.

e) Historia Hungariae a Ferdinando I per Historiographum superius memoratum compendio data; ad quam accedit synoptica Imperatorum, et Ditionum Austriacarum Historia.

f) Pro Geographia dictum est, cum additamentis Professorum.

§. 93.

Non est, quod quemquam moueat rerum in Gymnasiis discendarum multitudo; nam praeterquam, quod multa repetendo solum reuocari in memoriam debeant, pleraque ita comparata, nexaque sunt, vt vnum ex alio quodammodo fluat; vniuersa autem educando Ciui Reipublicae idoneo perquam vtilia sint. — Debet nimirum e Gymnasiis egressus ciuis venuste, correcte, celeriter scri-

scribere; accurate et ordinate tam in loquendo, quam in scribendo, sine ostentatione, Latina, Patria, aliisque Vernaculis, et vsitatis Linguis sensa sua expromere; in omni Arithmeticae parte, oeconomicisque imprimis calculis expedite versari. Debet item Patriam suam, ac reliquas Caesareas, Regiasque Prouincias noscere; quae de quatuor mundi partibus, et Europaeis praesertim Regionibus scitu necessaria sunt, non ignorare; praeterea de Hungariae, et hereditariarum Prouinciarum, Imperatorumque Historia, et aliis exterarum Gentium rebus, ac euentibus recte iudicare; vbicunque versabitur, Naturae procreationes, praesertim, quae ad Mineralogiam pertinent, quantum fieri poterit, nosse; et quae notitiae defectu neglecta, pedibus antea calcabantur, aestimare, atque ad vsus suos referre; cetera denique hac Sectione proposita penitus comprehendere.

SECTIO IV.

DE LYCEIS, ET ACADEMIIS.

§. 94.

Ipsa illa *Lyceorum*, et *Academiarum* indoles, quae in prooemio huius Codicis paucis adumbratur, deposcit, vt traductis e Gymnasio Adolescentibus, et ad scientias sublimiores adspirantibus ampla suggeratur occasio ad doctrinam Religionis, Artesque liberales, et Disciplinas seueriores plenius, atque cumulatius ediscendas: quibus exculti habiles reddantur tam ad praestanda publicae rei officia, quam ad accipiendam in Vniuersitate institutionem. Nimirum hic iam non Ciues modo erunt fingendi, sed iacienda quoque plenioris eruditionis fundamenta, et ponenda sublimioris culturae initia; vt inde Nationis existimationem, famamque Literaturae Hungaricae cum dignitate sustinere aliquando possint. Ex quo ipso consequitur, tot

et

et ita esse Regno toto distribuenda Lycea, et Academias, vt publicae huius beneficentiae fructus ad omnes eiusdem, Prouinciarumque adnexarum partes facile perueniat; ac illi etiam, qui variis de causis ab Vniuersitatis accessu prohibentur, disciplinis sibi ex vsu futuris imbui possint.

CAPVT I.

De Studiis Lyceorum, et Academiarum generatim.

§. 95.

Geminae huic Instituti Literarii Classi ea destinantur Studiorum genera, quae ad varios Iuuentuti propositos fines conducant; vt Alumni scilicet harum Scholarum ante alia emolumenta in Religione Christiana, Ecclesiaeque Catholicae dogmatis, et praeceptionibus, ac pietatis exercitiis vberiore doctrina, et vsu, consuetudineque pro reliqua etiam vita roborentur; vt Disciplinis Philosophicis, et Mathematicis, cognoscendisque Naturae arcanis, viribus, et legibus, veraque sapientiae arte erudiantur; vt non Patriae solum, et adnexarum Prouinciarum, internaeque politicae constitutionis eximiam consequantur notitiam, sed etiam omnem Historiam comprehendant; vt Leges domesticas, et publicas peruideant; conditionem earum rerum, quae ad Religionem, Rem Militarem, Oeconomiam Ciuilem, Politicam, et Agre-

stem;

stem; ad Opera manufacta, et commercia referuntur, pernoscant; ad haec, vt iura in extera, imprimis autem confinia Regna, prout illa pactis, conuentis, foederibus et pacis instrumentis nituntur, intelligant: cum ex hisce fontibus omne id petendum sit, quod ad rationem iustae proportionis cum adsitis Prouinciis conducere, et propria Regni emolumenta quoquo modo promouere, inque luce collocare potest.

§. 96.

Haec omnia perspicue palam ostendunt necessitatem illam, quae eo valet, vt totus *iste Studiorum Cursus* in duas diuidatur partes; quarum prior *Philosophiae*, et iis, quae huic adnexae sunt, disciplinis; altera *Iuribus, et Politiae* impendatur.

§. 97.

Huc accedit *Lingua Graeca*, et *Patria*; illa pro Auditoribus Philosophiae, qui Theologica, vel Medica cogitant; ista pro his, et Academicis omnibus, qui ad publica Regni munia adspirant. Linguam Hungaricam in Patria, et altioribus Scholarum Classibus iam nemo domesticorum ignorabit, si ea omnia, quae hanc in rem in Scholis

Gram-

Grammaticis, et Humanioribus prouide, et de lege fuere constituta, plene obseruentur. Si qui tamen adfuerint, quibus eam non esse natiuam, aut satis cognitam, adparuerit; hi quidem in Grammatica; ceteri autem in Linguae ipsius perpolitione, et optimorum Autorum scriptis exercebuntur illis horis, quibus et Philosophi, et Iuris studiosi sine dispendio aliarum institutionum interesse possunt.

§. 98.

Inter alia Bonarum Artium adiumenta illud etiam constituendum erat, vt in locis Lyceorum, et Academiarum Regiarum *Schola* sit *Graphidis*. Foret autem superuacaneum emolumenta, quae ex Arte delineandi communem in vitam variis in negotiis redire solent, multis docere velle. Incitandi ergo sunt Iuuenes, qui animi inclinatione, et quadam naturae dexteritate ad hanc artem vtilem non minus, quam elegantem feruntur, vt occasione in eadem sese exercendi solerter, industrieque vtantur.

§. 99.

§. 99.

Priusquam autem Facultates hae speciatim adumbrentur, notum sit omnibus: *Tempus maiorum feriarum* defigi ab initio mensis Septembris ad vltimam vsque Octobris; at *minores* iis prorsus limitibus definiri, qui Gymnasiis sunt circumscripti §. 46. et 87. neque alias quocunque causae obtentu admitti, immo etiam diserte vetari.

CAPVT II.

De Norma Studiorum in Cursu Philosophico.

§. 100.

Facultatis huius institutio non in hoc duntaxat versabitur, vt facem ceteris praeferat, et ancillari quodam obsequii genere subsidia necessaria subministret; verum vt Ciues quoque reipublicae vtilissimos suo e gremio suppeditet: quod vtrumque e Disciplinarum ad forum eiusdem pertinentium, atque biennem in Cursum digestarum perlustratione luculenter adparebit. Igitur

§. 101.

Anno primo pertractabitur

a) *Philosophia Theoretica*, resectis inutilibus definitionibus, diuisionibus, et quaestionibus;

b) *Historia* pragmatica *Regni Hungariae*, praemissa introductione, complectens originem, et praecipuas constitutionis Patriae vicissitudines,

ea-

earumque causas, et genuinos fontes: quemadmodum exposuit Cel. Prayus, autor hic classicus;

c) item *Mathesis pura* cum *Geodaesia.*

§. 102.

Anno secundo

a) *Physica* Theoretica, et Experimentalis.

b) Continuabitur *Philosophia Theoretica*, quam concludet *Practica*;

c) accedit *Mathesis adplicata*,

d) *Historia vniuersalis*,

e) *Oeconomia rustica* cum breui Historiae Naturalis expositione.

§. 103.

Haec generatim sunt dicta. Vt autem res omnis plenius intelligatur, quaedam erunt explicatius proponenda.

a) In *practica Logicae parte* peculiariter pertractanda est Ars inueniendi, et regulae diiudicandae Veritatis historicae; Criteria item interpretationis, et probabilium.

b) In *Metaphysica* diligentius euoluentur notiones, ac theoremata de Ente necessario, contingente, determinato, et indeterminato. Tum do-

ctrina de rerum creatarum Finibus, seu Teleologia; vires demum Animae tam ad cognoscendum, quam ad adpetendum pertinentes: vnde Hominis cultura Moralis aeque, ac Aesthetica pendet, accurate enucleabuntur.

c) *Morum Philosophia* complectetur practicam philosophiam Vniuersalem, Ethicam, et Asceticam; quarum prima proponet generalia Veritatum Moralium principia; altera explicabit officia Conscientiae, seu ad forum internum pertinentia; tertia sectandae Virtutis, et fugiendi Vitii vias suppeditabit.

d) In *Historia* tam pragmatica *Hungariae*, quam vniuersali pertractanda adspergi locis opportunis poterunt subsidia Diplomatica, Heraldica, Numismatica, Sphragistica. Nemini certe potest esse ignotum, quantae sit vtilitatis Diplomatum, atque Sigillorum vsus in omni Historiae, Iuriumque disciplina. His enim tanquam coaeuis testibus conseruatur rerum gestarum memoria; his definiuntur tempora, ceteraque euentorum adiuncta; his indiciis eruuntur patrimonia temporum iniquitate adempta; his plerumque defenduntur armis Iura controuersa; his adminiculis denuo vindicantur Lites amissae. Quia vero vel in legendis, riteque censendis antiquis Diplomatibus haud par-

ua

ua inesse difficultas solet, aequissimum est, vt vbi copia eorundem suppetit, hoc etiam subsidio adiuuentur Ciues succrescentes.

e) *Mathesis* anno secundo ad ea potissimum erit adplicanda, quibus tanquam fundamentis *Physica* innititur; qualia sunt: Scala virium accelerantium, centri Grauitatis theoria, leges Adtractionum e Keppleri regulis deriuatae, leges Pendulorum oscillantium, Focorum in vitris, et speculis determinationes.

§. 104.

His studiis interponent Oratores sacri institutiones Fidei, *Doctrinaeque Christianae* ea ratione communicandas, vt vtrique Auditorum Classi duae per hebdomadam horae, praeter illas, quae dominicis, festisque diebus more veteri sunt tribuendae, in posterum plene impendantur. Nouerint artium ingenuarum alumni, scientiam Religionis, cuius autor est Christus Dei Filius, esse regulam vitae, et fundamentum felicitatis humanae; atque ideo scholasticas etiam inter disciplinas principe loco habendam, maximaque studiorum contentione percolendam. — Vt igitur tanto argumento sua constet dignitas, acuaturque Iuuen-

tutis

tutis industria, et videatur institutionis fructus; sub finem semestris vtriusque, praesente in Lyceis, et Academiis Directore, in Vniuersitate autem Decano, et quibusdam aliis Collegii Philosophici Doctoribus, instituetur examen generale; et quo quis calculo dignus fuerit, in Informationibus tabellaribus, publicisque Testimoniis distincte connotabitur. Si quis autem adeo rudis, et expers doctrinae deprehendatur, vt in tertia Classe reponi debeat, a gradu altiorum Scholarum sine discrimine, suisque ingratiis arcebitur.

§. 105.

Cursum hunc Philosophicum absoluere vnusquisque debebit, qui ad studium Medicinae, Iuris, aut Theologiae adiicere animum, publicumque obtinere Testimonium voluerit.

§. 106.

Cum autem *Lingua Graeca* per omnes late Disciplinas sit diffusa, sed iis praesertim omnibus, qui emenso Philosophiae biennio Bellas Artes bono cum gustu consectari, vel Arti Medicae sese deuouere, aut vero Scientiam Rerum Diuinarum profiteri volunt, quam maxime vtilis, et necessa-

ria;

ria; erit hic illius Studium extraordinarium, habebitque suum, ac proprium Professorem, qui eam horis ab ordinario Scholarum tempore distinctis amicos Graeciae sponte venientes doceat, et ad altiores Classes praeparet. Si enim Musae mansuetiores sunt ex Attica; si Ars illa salutaris sermone Graeco loquitur; et fundamentum Religionis Christianae Graecum est: quantis verborum ambagibus erit opus, vt ignari huius linguae cum Musis possint colloqui, et ad Cursum institutionis, Scopumque peruenire? Diu profecto, multumque luctari debebunt cum vocibus, antequam rem capiant; et nusquam procedent inoffenso pede. Quapropter modis omnibus excitandi sunt Theologiae, Artisque Medicae Candidati, vt viam hanc ad suum Scopum necessariam mature ineant, et difficultates in processu Studiorum nullo non tempore occursuras per hoc compendium quasi aliud agendo euincere, superareque contendant. Tab. VIII.

CAPVT III.

De Norma Studiorum in Cursu Iuridico.

§. 107.

Cum Academicus Studiorum Cursus Iuridicis concludatur, vnde Iuuentus vel ad munia publica obeunda, vel ad vitam priuatim agendam, vel denique eruditionis amplioris comparandae causa ad Vniuersitatem Scientiarum digreditur; nemo non videt, excolendo huic Rei publicae Seminario ampliorem campum esse aperiendum propter grauitatem, et varietatem Disciplinarum; quibus pertractandis hic ordo statuitur.

§. 108.

Anno primo explicatur

a) *Ius Naturae*; *Ius* item *publicum vniuersale*, et *Gentium*; ac horum in nexu *Ius* quoque *publicum Hungariae* per Professorem vnum:

b) per alterum autem *Ius Ecclesiasticum* publicum et priuatum.

§. 109.

Anno secundo per totidem Doctores

a) dantur Institutiones *Iuris Ciuilis Romani*; exponitur deinde *Ius Feudale* in compendio; tum *Ius Criminale.*

b) *Politia*, et *Scientia Commercii*, *Resque Aeraria*, vulgo Camerales dictae; *Ius* praeterea *Cambiale*, et *Mercatorium.* Scientiarum Politiae, Commercii, et Rei Aerariae principia sunt quidem generalia, omnibusque politis Nationibus communia; verum vsus eorumdem, et practica adplicatio pro variis gentium adiunctis, legibus, et receptis consuetudinibus, non vbique potest esse eadem. Quare in his Professor leges, et adiuncta domestica semper pro cynosura habebit.

§. 110.

Anno quoque tertio duo sunt Institutores.

a) Primus proponit, explanatque *Ius* priuatum Hungariae, seu *Patrium*, docetque *Stylum Curialem.*

b) Secundi officium est tradere *Statisticam* Hungariae, et aliarum ditionum Domui Caesareae, ac Regiae hereditariarum, nec non aliorum Europae Regnorum primo; secundo autem Semestri *Ius Montanum.* — Series Praelectionum proponitur in Tabula IX.

SE-

SECTIO V.

DE VNIVERSITATE REGIA SCIENTIARVM.

CAPVT I.

De Studiis Vniuersitatis generatim.

§. 111.

Vniuersitas Facultates Philosophicam, Medicam Iuridicam, ac Theologicam sinu suo complectens natura sua eiusmodi est institutum, in quo Iuuentus Bonarum Artium Studiosa non Disciplinas modo, quae tradi solent in Academiis, perinde condiscere, sed in iisdem, si studia porro etiam prosequi voluerit, altius prouehi, et alias insuper quibus illic locus non conceditur, sibi comparare possit. Quapropter cum annis hisce postremis Studia Academica cum his, quae Vniuersitati propria esse debebant, permixta, confusaque fuerint segreganda nunc erant priora a posterioribus, e

ita

ta ordinanda, vt illa, quae Academiis sunt prae-
scripta, hic quoque in Vniuersitate tam apud Phi-
losophiae tirones, quam apud Iuris auditores sint
prorsus eadem. Quo facto Iuuentus quocunque
n loco ingrediatur cursum Academicum, si rebus
ta ferentibus ad Vniuersitatem velit accedere, et
nibi Studia sua continuare, citra ordinis pertur-
pationem possit: quod cum antea impeditum fue-
it, non leuia Studentibus, eorumque parentibus
reata fuere incommoda.

§. 112.

Atque ita complectetur Vniuersitas etiam Studia
Academica priore libri huius sectione iam satis ad-
mbrata; Professoribus nihilominus eadem traditu-
s integrum hic erit, Collegia etiam priuata dare
n eorum gratiam, qui in Scientiis quibusdam Vni-
ersitati reseruatis plenius erudiri cupiunt; modo
l ne fiat ex illa, quam quisque ex incumbente
bi munere praelegere debet, Disciplina. Simili
nstitutionis iure vti, fruique licebit omnibus illis,
ui nomen, honoremque Doctoris sunt adepti. Quo
uidem pacto id consequetur Vniuersitas, vt Alu-
nnis suis in quouis eruditionis genere proficiendi
mplissimam suppeditet occasionem.

§. 113.

Facta igitur Studiorum elementarium ab his quae ad Vniuersitatem ipsam proprie pertinent, segregatione; cum eadem plane hic sint Studia tam Philosophica, quam Iuridica; eodemque illo quem Lycea sequuntur, et Academiae, pertractentur ordine; superuacaneum foret sermonem denuo de rebus iam dictis instituere. Quae de Tempore Scholarum, Feriis, Librorumque Scholasticorum delectu, et habendis Tentaminibus sunt statuta pro Lyceis, et Academiis, hic etiam perfecte obseruabuntur. In Facultate Medica, quae Regno toto est vnica, hoc Studiorum discrimen locum non habet. Ideo quas illa disciplinas, et praxes ambitu suo comprehendit, Candidati artis huiusce salutaris, qui quidem publicam medendi potestatem consequi cupiunt, vniuersas ediscere, sibique proprias facere debebunt in hoc communi Musarum emporio. — Sic etiam, cum Scientiae Theologicae in Academiis non tractentur, huius erit loci plenam eiusdem imaginem, et normam ob oculos ponere.

CAPVT II.

De Studiis Facultatis Philosophicae.

§. 114.

Studia Philosophica Vniuersitati ea, qua dictum est, ratione propria, suis alioquin iam pleraque prouisa Doctoribus, erunt sequentia:

a) Mechanica theoretica, et experimentalis.

b) Geometria practica cum necessariis Hydrodynamicae, et Hydrotechniae principiis, Mapparumque delineationibus.

c) Mathesis sublimior.

d) Aesthetica cum Literis, et Artibus amoenioribus.

e) Scientia Rei Militaris cum Architectura, Pyrotechnia, Re Tormentaria, et ceteris Disciplinis fingendo militi necessariis.

f) Oeconomia rustica plenior cum Technologicis adplicationibus.

g) Astronomia practica.

h) Heraldica.

i) Diplomatica.

k) Numismatica.

§. 115.

Studiis hisce operam impendere, more in exteris Vniuersitatibus recepto, vnicuique liberum erit. Si cui autem Professorum propter hanc frequentandi libertatem deforent aliquando Auditores (quod quidem vix vnquam eueniet, modo Viri deligantur, et sint ad docendum praeprimis idonei) operam eo conferet, vt quidpiam lucubrando Reipublicae emolumentum praestet, Literaturaeque Hungaricae famam pro viribus illustret.

§. 116.

Vt autem quaeuis perturbatio euitetur, et Iuuentuti occasio plura quotidie frequentandi collegia praebeatur, haec etiam Studiorum genera poterunt dispesci, et per annos duos ea ratione versari, vt non ordine modo sese excipiant, sed etiam intra tempus illud commode absoluantur; Iuuenibus autem ex Academiis, vel aliunde confluentibus accessus ad eadem anni cuiusuis scholastici initio offeratur.

§. 117.

§. 117.

Tametsi autem operam Disciplinis hisce nauare in cuiusque situm sit arbitrio; Geometriae tamen practicae Studiosi, qui ad eandem in Prouinciis exercendam instituuntur, non hanc modo, verum etiam Mechanicam, et Oeconomiam agrestem ex officio audire, ac ex eisdem consueta examina subire necesse habebunt. Si qui vero horum Mathesi quoque sublimiori sese cum adprobatione impenderint, non solum in semestri Remunerationum largitione, sed etiam Stipendiorum adeptione ceteris iure praeferentur; quibus id etiam suadendum erit, vt Astronomiae practicae suorum partem studiorum impendant: non erunt tamen cogendi.

§. 118.

Practicae Geometriae Professor sumptu in eam rem prouisus, Discipulos in campestribus dimensionibus pro temporis opportunitate crebrius exercebit, nec aliis occupabit theorematis, quam vnde practica consectaria propius deducuntur. Praelectiones item suas ita partietur, vt ex Auditoribus intra biennium debite formari possint Geometrae; ne forte egentiores qui sunt, tempo-

po-

poris diuturnitati vlterius sustinendae reddantur impares.

§. 119.

Sed quoniam Iuuentus Cursu Academico iam superato ad quaeuis officia publica ius adipiscitur, fieri fortasse posset, vt pauci adiiciant animum ad has Vniuersitati proprias Disciplinas, nisi stimulis peculiaribus excitentur, et praemiis conuenientibus adliciantur. Talia sunt ista, quae hic proponuntur.

a) Titulo Professoris nemo ante decorabitur, quam Doctor in aliqua altiorum Scientiarum Facultate creetur; quod vt obtineat, magno studio emerendum est, seueraque doctrinarum pericula sunt subeunda, et defixa pensa persoluenda.

b) Ad publica Geometrarum officia, ne apud ipsum quidem Aedile Collegium vllus adsummetur, nisi obtento in Vniuersitate Diplomate semet communitum esse palam fecerit; qua in re, ceteris paribus, illi sunt anteferendi, qui Mathesi quoque sublimiori praeclaram se nauasse operam legitimo docuerint testimonio. Ita enim exculti, praeparatique Geometrae Auctores quoque de aquarum viribus commentantes et assequi propius, et in vsum conuertere melius nouerint.

c) In

c) In constituendis Fundorum publicorum Administris, et Oeconomis potior habebitur eorum ratio, qui de Re rustica praestante cum fructu audita testes adtulerint literas. Regula ista eo valebit etiam, vt ad Vniuersitatem incitentur Iuuenes, qui ruri veteranis oeconomiae Praefectis solent adiungi; quique praeterquam quod huic vitae generi se iam addixerint, in eo etiam essent vtiliores, quod aliquam secum adferant experientiam..

d) Sed et hos, qui instituendae in pagis Pubi rusticae destinantur, intererit exstimulare ad lectiones oeconomicas audiendas; ne, dum cuiuis Ciuium generi artium illarum, quae conditioni cuiusque conueniunt, Magistri dantur, soli Iuuentuti rusticanae artis omnium nobilissimae desint Praeceptores.

CAPVT III.

De Studiis Facultatis Medicae.

§. 120.

Facultas ista praesentat Reipublicae Scientias, et Artes tuendae, reparandaeque Ciuium valetudini, et corporum integritati salutares. Omnis enim opera hic eo dirigitur, vt Hominum Sanitas tuta saluaque conseruetur, et si quo morbi, vel vulneris ictu laesa fuerit, priorem in statum reducatur. Inde Medici dicuntur custodes, et vindices Humanae Vitae, thesauri huius incomparabilis, summique Naturae depositi. Tales autem vt reapse euadant, et semper sint, ingentem, ne dicam immensum, studiorum, laborumque campum emetiri debent. Quod nisi assidua, omnique virium impensa faciant, munus ipsum, quod adfectant, aut etiam gerunt, prope diuinum, vitio suo reddent periculosum. Quibus igitur modis possit istud auerti, alterum vero obtineri? quae illuc viae, et doctrinae, totiusque institutionis, operis, et temporis oeconomia? exponetur disertius, posteaquam quasi per transennam hoc quo-

que

que insinuatum fuerit; Artem etiam illam, quae iam olim in auxilium Iumentorum adhiberi, colique coepit; vnde primum Mulomedicina, tum latiore nomine Veterinaria dicta, hoc loco in scholam venire debere.

§. 121.

Studio Artis Medicae simul cum Chirurgia Quinquennium est emensum. Quamuis enim multiplicem, magnamque habeat rerum discendarum varietatem, ac difficultatem, teste tamen experientia; si Candidati ceterum ingenio sint subacto, et idoneo, foueantque operam contentiosam, tantum temporis sufficit: alioqui desides qui sunt, aut ingenio mediocri, non solum sua culpa, et lege hic lata, verum etiam natura rerum ita iubente, longe ab adytis Artis huius saluberrimae remouentur.

§. 122.

Primi tres anni impenduntur institutionibus theoreticis Medicinae, et Chirurgiae; reliquos occupat Therapia Specialis, et Praxis Clinica. Series disciplinarum est ista:

Anno I. *a*) Anatomia. *b*) Chemia. *c*) Botania. *d*) Historia Naturalis specialis. *e*) Pathologia generalis, et specialis Chirurgica.

Anno

Anno II. *a*) Physiologia. *b*) Anatomia subtilior. *c*) Doctrina de operationibus, instrumentis, et ligaturis chirurgicis. *d*) Ars Obstetricia.

Anno III. *a*) Pathologia. *b*) Materia Medica *c*) Ars Ophthalmica, seu doctrina de morbis Oculorum.

Anno IV. *a*) Therapia specialis morborum acutorum, et chronicorum cum Clinice, seu institutionibus medicis, et chirurgicis practicis ad lectos aegrorum. *b*) Veterinaria; quam praeterire non possunt illi, qui publicos in vrbe quadam maiore, aut prouincia Medicos agere cupiunt. Hoc solum defertur ipsorum arbitrio: velintne scholam illius quarto, vel quinto studii sui Medici anno frequentare? vel terminata disciplinarum hicce praescriptarum olympiade quinquennali hanc quoque artem condiscere, sibique propriam facere?

Anno V. *a*) Therapia specialis cum Clinice continuatur. *b*) Medicina publica ideo huic loco relicta, quod auditores, vt meliorem inde fructum referant, aliis Artis Medicae scientiis imbutos iam esse oporteat. *c*) Politia Medica.

§. 123.

Quisquis ad ordinarium istum Medicinae, Chirurgiaeque studium admitti desiderat, regularem

rem et publicum Philosophiae cursum, qualis in Hungaria duobus, in Austriacis vero prouinciis, tribus annis continuatur, et conficitur, plene absoluerit, ac in singulis eius partibus, si non eminentiae tesseram, at primae certe classis notam semet reportauisse demonstrauerit, est necesse. Qui Studium Philosophicum in Lyceo, vel alio cuiuscunque nominis Instituto, sed a legali, et publica Scholarum norma difformi absoluerunt; non admittuntur ad Studium hoc Medico-Chirurgicum, nisi eas quoque Scientias excepisse, tenereque se productis testimoniis palam fecerint, quas Systema Literarium pro Philosophia praescribit. Lex ista illos quoque ciuiles, ruralesque Chirurgos comprehendit, et obligat, qui gradum, honoremque Doctoralem quaerunt, et suprema artis laurea insigniri cupiunt. Testimonium de domestico, priuatoque Philosophiae studio vigorem habet nullum.

§. 124.

Alienigenae, seu extra ditiones Augustae Domus oriundi aduenae, si Medicinam, aut Chirurgiam altioris ordinis audire tantum, non autem lauream quoque Scientiae procurare velint; liberum habebunt accessum ad omnia, quae sibi profutura putant, doctrinarum auditoria: adire

pos-

possunt, et frequentare. Immo etiam vltra, si quis eorum testimonia scholastica sibi exarari petierit, accipiet; in quibus illi, quos auscultare solebat, Professores adnotabunt conceptis verbis: Collegiis eum academicis interfuisse tamquam hospitem, et auditorem extraordinarium: quae declaratio faciet, vt ad examina rigorosa nuspiam locorum admittatur. — Fieri etiam potest, vt Alienigenae ad Doctoratum anhelent, et tempora lauro incingi petant. Hic enimuero eadem illa Statuta erunt obseruanda, quae de Indigenis sunt defixa. Testimonia nec de consummato apud exteros Philosophiae orbe, nec de anticipatis ibidem nonnullis Artis Medicae, vel Chirurgicae partibus adlata eo valere poterunt, vt vel ad scholas huius Facultatis ordinarias, vel ad suprema in arte Tentamenta, lapidem in Vniuersitate Scientiarum Lydium, propius accedere permittantur: siquidem et Philosophiae, et Facultatis Medicae Ratio illa est sequenda, quae sub Imperio Regis Augustissimi vim legis habet. — Denique, ne quis dubio sit locus super, hoc quoque sanctum est: siquis in extera quapiam Scientiarum Academia creatus Doctor hic etiam in numerum Doctorum, iuraque Facultatis Medicae venire voluerit, accessum non

ante

ante obtineat, quam Therapiam specialem per bienniun audiat, et Clinicis demonstrationibus ordinate intersit, seque dignum omnino esse procerum academicorum collegio certissimis argumentis ostendat.

§. 125.

Candidati Chirurgiae, qui ex aliquo Magistrorum tirocinio conueniunt ad Vniuersitatem, vt Artem hanc plene ediscendo magisterium, et ius consequantur ad praxim ruri, ac in ciuitatibus obeundam: vnde Ciuiles, Ruralesque Chirurgi, ad discrimen inter ipsos, et Doctores exprimendum, dici solent; Studia habebunt sequentia, spatio duorum annorum comprehensa. Ordo illorum est:

Anno I. *a*) Anatomia. *b*) Pathologia generalis, et specialis Chirurgica. *c*) Institutiones Medicae theoreticae.

Anno II. *a*) Doctrina de operationibus, instrumentis, et ligaturis Chirurgicis. *b*) Ars Obstetricia. *c*) Praxis chirurgica, et obstetricia. *d*) Institutiones practicae ad lectos aegrorum cum Therapia speciali, in separato Clinico. Omnia ista Chirurgiae capita, quae hic rurali, ciuilique Auditorum generi sunt destinata, proponentur Linguis

ver-

vernaculis in Regno vigentibus; eritque ratio do
cendi dispar ab illa, quae apud Medicos, Chirur
gosque altioris ordinis obtinere debet. Agendun
enim hic est maxime de morbis acutis, et chro
nicis, ruri apud populum frequentioribus, et qua
si vulgaribus; loquendum ad praesentes sine ma
gno verborum circumductu, breuiter, perspicue
populariter; et omnis, quae huc e Therapia spe
ciali pertinet, doctrina spatio anni vnius depro
menda. His ex dictis intelligi debet, talem Can
didatorum informationem, qualis impraesentiarun
duobus annis circumscribitur, pro iis duntaxa
esse determinatam, et sufficientem, qui annos ti
rocinii apud artis Magistros exegerunt, et talia d
se argumenta dederunt, vt constet, non deesse
apud ipsos eam in Anatomia, et Chirurgia scien
tiam, quae ad fundamentum, exordium, et conti
nuationem biennii academici requiritur, progres
sumque studiorum valde bonum, et exitum polli
cetur. Illi enim, qui absque omni Chirurgiae cogni
tione accedunt ad Vniuersitatem, vt magisterium
inde reportent, ceterum toti nouitii, et prorsu
expertes rerum etiam elementariarum, exhibebun
testimonium de absolutis Scholis normalibus, e
triennium impendent placitis, operationibusque

Chir-

Chirurgicis ea ratione, vt primum cursus ordinarii annum duplicata opera iterent, et ita instructi, firmatique ad secundum transeant, plenamque artis operosae scientiam, et vsum sibi consciscant.

§. 126.

Ars Obstetricia quanta est, tradetur omnibus Medicinae, et Chirurgiae Auditoribus sexus vtriusque ope linguarum vernacularum in patria praecipuarum, et absoluetur vnius anni dimidio.

§. 127.

Qui se Arti Medicamentariae dare, eamque profiteri voluerint, Pharmacopoei, institutiones accipient in *a*) Historia Naturali speciali *b*) Chemia *c*) Botania, Lingua, quae ipsis est necessaria, Latina. Quare iis solum tironibus hic dabitur locus, qui latii sermonis sunt gnari; nec aliter impetrabunt diploma de doctrina pharmaceutica, quam si commune suorum antistitum suffragium emeriti fuerint.

§. 128.

Regulae generales ad exequutionem operis ducentes sunt istae:

a) Lingua Latina in institutionibus Medicinae, et Chirurgiae publicis ac ordinariis est instrumentalis, dogmatica. Ars Obstetricia, vt dictum est,

non

non secus, ac illae disciplinae, quae Collegiis Chirurgorum ciuilium et ruralium proponuntur, tractatur vbique Linguis vernaculis.

b) Interdicitur. adscensus ad Studia altioris ordinis, nisi disciplinae prioris anni omnes cum calculo profectus primae classis fuerint exceptae et finitae.

c) Qui ex aliqua, tametsi vnica, Studiorum materia relatus est ad classem secundam, iterabit praelectiones anni antecedentis; progressu meliore non sequuto delebitur de numero Academicorum.

d) Examina Semestria aeque, ac in aliis Scientiarum Facultatibus fixae legis est, subibunt Auditores singuli absque discrimine, Medici, Chirurgici, Obstetricii, Ocularii, et Pharmaceutici; testimonium non accipiet, qui haec praeteriuerit.

§. 129.

Inter Officia Professoribus imposita sunt etiam ista:

a) Cauebunt diligenter, ne quis ad Studium Medicinae, aut Chirurgiae suscipiatur, vel ad altiora Studiorum contubernia admittatur, nisi conditiones superius expressas adimpleat, suamque habilitatem palam demonstret, et extra omnem

con-

controuersiam ponat. Praeuaricatores mulctam viginti florenorum dependent fundo Pauperum, vel Studiorum.

b) Vnus aliquis eorum Professorum, qui primi anni Medicinae Studiosos erudiendos habent, Testimonia Conuenarum de Philosophia integre absoluta colliget, nomina in tabellam referet, studiorum, morumque classem, et quae de discipulo sunt scienda, articulatim exscribet, completumque hoc modo elenchum vna cum testimoniis Decano tradet; qui consignatione rerum cum autographis collata, et apud se retenta, Testimonia cuique sua in vsum forte aliquando opportunum integra reddet. Hoc idem erit agendum cum Testimoniis eorum, qui ex alia quapiam Vniuersitate ad continuanda Medicinae, vel Chirurgiae studia sunt accessuri, et vt recipiantur, idonei, dignique iudicandi.

c) Professores hebdomade ab exordio anni scholaris quarta praesentabunt Decano Catalogum suorum auditorum. Si quis serius aduenerit, Decanus perpensis rei, personaeque rationibus decernet, sitne ad cursum eiusdem anni adoptandus, vel ad sequentem pro maiore ipsius emolumento differendus? Catalogos vero sub initium

examinum semestrium illis, a quibus accepit, finem in eum restituet, vt quem hoc semestri calculum in studiis meruere singuli, suis locis adscribi possit.

d) Vetitum est, et nullius causae praetextu licet Professoribus publicis priuatas cum suis, aut alienis discipulis Repetitiones, ita dictas, instituere ex illis Studiorum materiis, quae e publicis Medicinae, vel Chirurgiae pulpitis proponuntur, et docentur. Violatores legis pro singulis eorum, quos seorsim adsumpserunt excolendos, dabunt poenam persoluendo quinquaginta florenos in aerarium Vniuersitatis inferendos, aut in subsidium pauperum conuertendos. Si quis vltra sphaeram suae Cathedrae progredi, et diuersum ab illa scientiae medicae caput horis extraordinariis pertractare, arcanaque alia euoluere desiderauerit, quin ab incumbente sibi munere praepediatur; proponat altiori loco suum animum, et vbi voto delatum fuerit, ea quoque in parte pergat augere limites, et dogmata artis salutiferae.

e) Professores omnes praeter Chemicum et Botanicum, — qui cum suas disciplinas ambitu vnius Semestris constringere debeant, rarius po-

te-

terunt facere — die aliqua cuiuslibet hebdomadae proprio arbitratu deligenda instituent examen cum suis discipulis, sorte, vel meditato prouocatis, adtenteque dispiciet, ac signabit, quam quisque solertiam adhibuerit, qualemue in expositis doctrinis progressionem fecerit?

f) Examina Semestria oportet esse seuera et acria sine indulgentia, et personae respectu. Praeceptum hoc ad eos cumprimis est referendum, qui in primo Scholarum medicarum anno versantur. Exploranda, discutiendaque hic est hominis capacitas, industria, scientia; et si palam fuerit defectus ingenii, continuo remouebitur ab artis limine, hocque facto secura reddetur Respublica ab imperita, periculosaque medentis manu.

g) Vt primum Examina Semestria ad finem deducta fuerint, adnotabunt Professores in elencho suorum auditorum illum classis gradum, quem quis in scientiis et moribus, communi Censorum sensu promeruit. Conficientur autem gemina huius Elenchi, seu Informationis exemplaria; et adiungetur eorum quoque Catalogus, qui in cursu huius Semestris prospero, vel sinistro cum euentu subiuerunt examina rigorosa. Exemplar vtrumque suo nomine signabit Professor, et Decanus; ac iste

demum vnum eorum inter acta Officii, Facultatis-que conseruabit; alterum Magistratui Academico ad Consilium Regium perferendum exhibebit.

h) Testimonia de studiis Candidatorum, quo sint legalia et valida, examinibus semestribus fundata esse debent; propterea non ante exarabuntur, quam periodica huius generis tentamina finiantur.

§. 130.

Sequuntur leges de Rigorosis Examinibus obseruandae:

a) Accessum ad ista nemo habeat, nisi prius certo demonstret, se non solum ordinem eorum omnium, quae praescribuntur, Studiorum obseruasse, cursumque confecisse; verum etiam primam in singulis profectus classem obtinuisse. Hac lege tenentur omnes Medici, Chirurgi, Pharmacopoei, Obstetrices, et quicunque his, aut similibus sub nominibus veniunt, artem et medicinam facere gestiunt. Decanus Facultatis, cuius est Normae Studiorum proxime intendere, et vt sua cum integritate conseruetur, nauiter elaborare; si vel ipse Statuta hac in parte violauerit, vel ab aliis seuerissimi huius areopagi iudicibus, vt immeriti, indignique ad examen decretorium ad-

mit-

mittantur, violari sustinuerit, viginti florenis mulctabitur toties, quoties hanc in legem peccauisse deprehensus fuerit.

b) Examinatores qui esse debent, adsint oportet omnes vniuerso examini a principio ad exitum, vt de responsis Candidati non ad suas modo, verum etiam ad alienas quaestiones, themataque omnia apte, vel incongrue datis sententiam dicere possint aequitate fundatam: loqui enim debent, et rem non soli Professoris illius sensui decernendam committere, cuius e disciplina Candidatus adducitur ad arenam. Medici vrbis practici, quos velut Examinatores aduocare moris est, certo stabilique ordine, vt adesse velint, postulabuntur. At qui ampliore medendi praxi, quam vt toti vacare possint examini, distrahuntur, non inuiti renunciabunt huic prouinciae.

c) Cum Periclitationes istae eo debeant dirigi, vt ad cognitionem illius scientiae, quam Candidatus sibi comparauit, certo perueniatur; ideo quaestione clare iam proposita abstinebunt se Iudices a disserendo, et nihil de suo suggerent; audient responsa taciti, eaque, seu fuerint adcommoda, seu heteroclita, adtenta mente excipient, et non interrumpent.

d)

d) In Examine practico proponent Examinatores casus practicos; quos Candidatus, tanquam ad lectum aegri constitutus Medicus, ordinate persequetur; recensebit remedia, et quae medicamenta censet maxima sanandi virtute pollere, ad artis leges, formulasque praescribet, methodumque dicet. Inspirare responsa, negare, vel annuere, aut alia quacunque ratione sensa sua prodere, piaculum esto. De Ministris sanitatis, et vitae humanae agitur, vbi locum non habet commiseratio, indulgentia; incorruptum, intemeratum, et omni ex parte austerum, rigidumque sit tentamen et iudicium, a quo pendet salus Ciuium.

e) Si quando accidat, vt Examinator aliquis negotio quopiam graui et vehementer vrgente impediatur ab examine, quod iam antea certam in horam est defixum, vltraque differri nequeat; ceteri, qui praesto sunt Arbitri, experimenta inchoabunt, et ita continuabunt, vt praefinitum ex lege tempus ad extremum punctum expleatur. Alias emensum sibi certi temporis interuallum singuli Censores obseruabunt, et nihil vnquam ex alieno decerpent.

f)

f) Praeses examinis rigorosi adtendet, curabitque omni modo, vt, quae hanc in rem seuere imperantur, omnia examussim tractentur, ac in effectum rite deducantur. Siquis contra legem iterato fecisse notatus fuerit Professor, iure examinandi pro grauitate, numeroque delicti aliquandiu priuabitur; vt hac ipsa sortis incertitudine suspensus de praestanda statutis reuerentia admoneatur, et sapiat. Si vero Doctor aliquis exterus, qualis e supra dictis adesse potest examini, in delicto fuerit, ab hoc quidem scientiae, aequitatisque foro, ac iudicio suis ingratiis, et in perpetuum excludetur.

g) Candidati Doctoratus in alia quapiam sub sceptro Domus Augustae vigente Scientiarum Vniuersitate per examen rigorosum reprobati, nullo pacto admittentur ad aliud in Hungaria scientiae suae periculum. Si quis igitur cursu studiorum in Prouinciis Austriae hereditariis absoluto peregrinus accedat, seque ad suprema in Facultate certamina, et experimenta admitti petat; istud ante quaerendum, certoque sciendum erit: an hic aduena non alio iam in Athenaeo rigorose tentatus sit, et reiectus?

CA-

CAPVT IV.

De Studiis Facultatis Iuridicae.

§. 131.

Studia Facultati huic in Vniuersitate reseruata sunt:

a) post praemissam de Gentium migrationibus notitiam, Historia pragmatica Statuum Europaeorum, cumprimis inde a Carolo M.

b) Historia memorabilium, atque illustrium inter Nationes Europaeas controuersiarum; cui iungenda erit enarratio Pacificationum, Tractatuum, et Conuentionum publicarum inde a Pace Westphalica.

c) Institutiones Prudentiae Politicae.

d) Introductio in Criticam, et Diplomaticam, praecipue Historicam, et Iuridicam Regni Hungariae.

e) Ius positiuum commune Gentium Europaearum; Iura item Legationum, et Nauticum.

f) Ius publicum Historicum Regni Hungariae, seu memorabiliorum euentuum, et reuolutionum euderationes.

g) Ius publicum Imperii Romano-Germanici.

h) Introductio in Artem Scripta statistica, seu publica concipiendi.

i) Literatura Iuris vniuersi. — Haec autem Studiorum argumenta, pro varia eorundem inter se adfinitate, Professores inter se partientur, horasque praelectionum sic distribuent, vt iidem auditores, praecipue qui se Rei Mercatoriae, Statisticae, aut Legationibus aptare volunt, quotidie pluribus interesse, atque disciplinas proposito suo conuenientes audire possint.

CAPVT V.

De Studiis Facultatis Theologicae.

§. 132.

Vt Facultas ista Vniuersitati restitui postliminio possit, excitatum est generale Seminarium, in quod Tirones aliquot Ecclesiastici singulari pollentes ingenio e quauis Dioecesi, vt vires aerarii cuiuslibet tulerint, ad ediscendas Theologicas, aut etiam Philosophicas Disciplinas traducantur. Cura huius Instituti concreditur Regni Primati ea cum prouisione, et potestate, quae paulo inferius describetur; Facultas tamen ipsa, quantum ad publicam Vniuersitatis politiam adtinet, ab Academico eiusdem Magistratu, quemadmodum reliquae, dependebit.

§. 133.

Quo igitur tam vtilitati, ac necessitati, quam fini Studii Theologici debite prospici queat, cum omnia Scientiarum Theologicarum argumenta ad

Fi-

Fidem, Mores, et Disciplinam dirigantur, fontes vero pro his rite tradendis necessarii communi Catholicorum sensu Scriptura Sacra, Traditiones, et Iudicium Ecclesiae statuantur; subsidia porro sint in Linguis Orientalibus Hebraica, et Graeca, ac Historia Ecclesiastica, quae ceteris facem quodammodo praeferunt; idcirco sequentes Disciplinae in vniuersis Scholis Theologicis sunt tradendae:

a) *Scriptura Sacra* vtriusque Testamenti cum Prolegomenis secundum vsitatas in Ecclesia Catholica Hermeneutices regulas; cuius explanationi praemittitur *Linguarum*, et quidem veteri Testamento *Hebraicae*, nouo autem *Graecae* institutio.

b) *Historia Ecclesiastica* certas in Epochas distributa; ad quam vtique viam sternere debet Historia Religionis et Ecclesiae Christianae notio; scopus, et vtilitas Historiae in Theologia; tum fontes, et subsidia Veritatis Historicae; demum Chronologia, Geographia, et Critica.

c) Institutiones Theologicae *cum Locis Theologicis*, et *Patrologia*; in quibus eo peculiariter connitendum erit, vt statim ab initio Auditores tam necessitatem, quam existentiam Diuinae Reuelationis in veteri, et nouo Testamento factae

pro-

probe condiscant; quo contra Incredulos, Deistas, et quosuis alios reuelationis impugnatores in limine praemuniri possint.

d) Theologia Dogmatica cum *Polemica*; vtpote quae natura sua a Dogmatica inseparabilis est.

e) Theologia *Moralis* cum *Pastorali* tam theoretica, quam practica.

f) Ius Ecclesiasticum Legibus Regni Hungariae plene adcommodatum. — Ceterum ad partes cuiusuis Professoris pertinet praemittere suis Praelectionibus aptam, et succinctam materiae, quam tractat, historiam. Nemo autem admittetur ad Disciplinas Theologicas, nisi Cursum Philosophicum bono, et testimoniis comprobato calculo semet absoluisse ostenderit.

§. 134.

Pertractationi harum omnium Scientiarum quatuor Professores sunt necessarii, et totidem Anni emensi. *Anno primo* tractatur Historia Ecclesiastica, et Institutiones Theologicae cum Locis Theologicis, et Hermeneutica veteris Testamenti cum Lingua Hebraica. *Secundo* Hermeneutica noui Testamenti, et Lingua Graeca, Historia

Lite-

.iteraria Theologiae, et Patrologia. *Tertio* Pars rima Dogmatices cum Polemica; dein Moralis um Pastorali. — *Quarto* altera pars Dogmatices um Polemica, et Ius Ecclesiasticum Legibus Pa- riae contemperatum. — Distributionem Rerum, t Temporum ostendit Tabula XI.

§. 135.

Cursus Theologicus isthic adumbratus *commu- is erit* ipsis etiam Episcoporum *Lyceis,* Ordinum- ue Religiosorum Domiciliis; et vniformiter ob- eruabitur. Quare

a) Nemini erit integrum ab hac studiorum lorma recedere.

b) Nemo ad tradendas has Disciplinas admit- etur, qui non antea aut Lauream Theologiae in legia Vniuersitate susceperit, aut publica do- trinae suae, et habilitatis specimina cum prae- laro Facultatis testimonio ediderit. —

c) Primati Regni, vel Sede eius vacante, rchi Episcopo, qui e duobus, Colocensi nempe, t Agriensi, est antiquior; aut si neque hi exi- tant, Seniori inter Episcopos Dioecesano seme- tres relationes, et informationes Dioecesani mnes, Ordinumque Religiosorum Praepositi

pro-

prouinciales, qui sua habent Instituta Theologica, omni anno, et quidem primo semestri cum initio Maii, secundo vero cum exordio Septembris praestabunt non tantum de obseruatione Normae, e Thesibus per Professores speciatim traditis, sed etiam de diligentia, et dotibus, ac modo explicandi Professorum; de profectu item Cleri Iunioris, et calculo, quem vnusquisque in Literis, e Moribus emeruit. Informationes porro has semestres Primas Regni, vel Dioecesanus ille, ad quem e data superius regula pertinet haec prouincia, comite opinione sua submittet Consilio Regio, inde Supremae Inspectioni repraesentandas. Eadem auctoritate tribuitur potestas Primati, et hoc non existente, seniori, vt dictum est, Metropolitae, vel Episcoporum antiquissimo singula haec in Regno Instituta Theologica, vt minus intra biennium, visitandi; immo etiam internam Seminarii coordinationem, et disciplinam per se, vel quem sibi surrogauerit, cognoscendi: qui demum de visitatione, et iis, quas ibidem est comperturus, rebus relationem Maiestati Regiae per Consilium Locumtenentiale praestabit.

§. 136.

§. 136.

Ceterum quemadmodum Summi Principis voluntati consonum est, quintum etiam Professorem, si Episcopi fundo Seminarii sufficiente, vel in huius defectu propriis maioribus prouentibus prouisi sint, pro recensitis Disciplinis ad Lycea sua inducere; vt huius quoque adiutorio Auditores Theologiae primo anno in Hermeneutica veteris Testamenti cum Lingua Hebraea; anno autem secundo in genuina noui Testamenti intelligentia, et Graeci sermonis cognitione vberius et solidius institui possint: ita etiam desiderat, vt, quantum fieri potest, prima pars Dogmatices cum Polemica tertii; et altera quarti anni Auditoribus tradatur.

§. 137.

Neque illud intermittent Episcopi diligenter curare, vt Clerus iunior praeter studia iam exposita in *Eloquentia* cumprimis *Sacra*, et *Methodo Catechismi* informetur, ac exerceatur; cum in cura Animarum praecipuus horum sit vsus, et maximum emolumentum. Ideo Clerici tempore examinum semestrium ex his etiam studiis per-tentabuntur, et in classes pro ratione facti pro-

gres-

gressus referentur. Denique in sacra quoque *Liturgia*, et *Ritibus* Ecclesiae horis extraordinariis domi per Vicarium Seminarii Rectorem, vel Spiritus, aut Studiorum Praefectos practice instituentur. Horum erit muneris, prout et Professorum, in id dare operam, vt ea, quae iuniori Clero ad formandum eiusdem intellectum proponunt in quotidiano, et quasi continuo consortio velut educatores solliciti et industrii, ad corda transferant, et moralem Seminarii educationem procurent.

§. 138.

Ad obtinendam in Studio Theologico vniformitatem istud est e praecipuis remedium: vt iidem vbique sint *Autores*, et *Libri Scholaſtici*. Quapropter de idoneis praelectionum Libris, qui non alii erunt, quam qui supremam Principis adprobationem meruere, prouidendum erit, et vetus ille, sicubi viguit, inſtitutionum e scriptis tradendarum mos penitus abolendus. Pro Inſtitutionibus Theologiae Patris Gazzaniga Libri vltimis curis in Italia editi vtilissime adhiberi, praelegique poterunt. Pro Historia Ecclesiastica concinnabitur Liber Regno Hungariae, tempori, et adiunctis discentium adcommodus, numerisque omnibus absolu-

tus.

tus. Ius Ecclesiasticum Legibus Regni Hungariae adtemperabitur. Cum enim Leges Patriae vniuersum etiam Clerum obligantes quam plurimas Ecclesiasticas in se complectantur, iure merito desiderandum est, vt Ius hoc Clero Hungariae deseruiturum non solum communis Iuris Ecclesiastici principiis, sed Nationalium quoque Synodorum, et Patriae Legum statutis conformetur. Quod adtinet Opus Scholasticum, ex quo Theologia Dogmatica est docenda, cum de dogmatibus Fidei Catholicae omnes Theologi Catholici vnum idemque sentire debeant, atque ideo his nullae intra Theologos differentiae esse possint; potissimae vero disputationes, et concertationes circa nonnullas pure scholasticas quaestiones, cum Dogmatibus fidei saepe nullum, aut vix aliquem nexum habentes, exoriri soleant, et inde singuli suis placitis inhaerentes longius his explicandis, quam fidei dogmatibus probandis, et defendendis intenti sint; quaestiones hae aut penitus in Theologia resecandae, aut nonnisi adpendicis instar, et historice pro notitia discipulorum referendae sunt.

§. 139.

§. 139.

Regimen Lyceorum Episcopalium suapte natura concreditur Episcopis; qui proinde Cleri su institutionem, et educationem secundum regulas huius Systematis moderari, et Professores, ac Superiores constituere debebunt hac lege:

a) Vt singuli Dioecesani e Capitulo suo Pro directorem Lycei talem, qui aut Laurea Theologica insignitus est, aut certe in his disciplinis ad prime versatus, Sacratissimae Suae Maiestati pro confirmatione via Consilii Regii proponere teneantur.

b) Ad officium Prodirectoris pertinebit, sedulo, et quoad fieri poterit, quotidie inuigilare, an Professores numerum, et horas institutionum diligenter obseruent? an praescriptae Studiorum normae adaequate sese conforment? an Libri Scholastici Ordinem, et Autoris sententiam sequantur? an in explicando clari, in examinandis discipulis suis diligentes, et in tractandis moderati nec nimium seueri, nec multum indulgentes sint? Pari ratione eiusdem Prodirectoris est profectui Cleri iunioris sollicite intendere, Examinibus disci-

pu-

pulorum non tantum semestribus, sed menstruis quoque, et quantum fieri potest, etiam quotidianis nteresse: pigros et desides monere ac excitare, et si non profecerint, per Seminarii Praesidem ad poenam postulare; calculum, quem quisque meretur, exponere, Semestres relationes rite concinnatas Episcopo, vel sede vacante Generali Vicario per se subscriptas praestituto tempore exhibere, et ad Primatem Regni, vel alium, quem empus ostendet, Praesulem transmittere.

c) Dioecesani omnes, nemine excepto, habent potestatem denominandi Professores omnium Disciplinarum Theologicarum, ea tamen um conditione, vt non alii ad hoc munus vocentur, quam qui in Regia Vniuersitate Doctores unt creati, vel certe rigoroso ibidem examine pro idoneis comperti, et declarati. Quicunque ex his electi fuerint, via Consilii Regii Suae Maiestati ro benigna confirmatione repraesentandi erunt.

d) Nemini Episcoporum liceat Clericos ante absolutum Studii Theologici quadriennium seu ad Curam animarum, seu ad alia quaecunque officia e Seminario dimittere. Si tamen extraordina-

ria rerum adiuncta ad sarciendum in Parochi defectum vnius, alteriusue dimissionem exposc rent, haec ipsa Consilio Regio referent.

e) Studium Philosophicum, quod aliquibu Dioecesanis est indultum, Superiori Studioru Directioni plene subesse debet; quare huic qu que Studio in Seminariis inuigilabit, et solit relationes exiget, Locoque altissimo via Consil Regii submittet; Prodirectores autem Lyceoru Episcopalium in Semestribus Informationibus i duntaxat referent: quot sint primi? quot ite secundi anni Philosophiae studentes Clerici?

f) Demum potestas defertur Dioecesanis i uigilandi illis Philosophiae partibus, quae cu Theologia nexum habent intimum; ne videlic clam irrepat in Studium Philosophicum falsa a qua opinio; quam vt primum, et vbicunque o seruauerint, illico significabunt Consilio Regi et remedium poscent.

§. 140.

Quae hactenus de deligendo Prodirector eiusque officio, et constituendis idoneis Profess

ri-

ibus, praestandisque Semestribus Informationi-
ous dicta sunt, eadem prorsus, cum certa qua-
am congruentia, *Prouinciales Religiosorum Ordi-
um* circa studia in domiciliis suis vigentia obser-
abunt, eo etiam addito: quod in illis domibus,
uae sunt in loco Lycei Episcopalis, Studium
Theologicum inducere sit ipsis vetitum; contra,
t Clericos suos Religiosos eadem in vrbe stu-
entes ad Lyceum Episcopale pro condiscendis
cientiis Theologicis mittant, praeceptum.

§. 141.

Quae hactenus dicta sunt, ad quadriennem
luntaxat, atque ordinarium Theologiae Cursum
eferuntur. Superest, vt in conspectu ponatur Nor-
na vniformiter conficiendi Relationes illas, quae
er proximiores Libri huius articulos imperantur.
Hoc praestat facies auersa Tabulae XI primo de
Professoribus, qui sunt in Vniuersitate, et Lyceis
Dioeceseon; tum de illis, qui docent in Scholis
Ordinum Religiosorum; denique de Auditoribus
Theologiae.

§. 142.

Verum *in Seminario generali apud Vniuersi-
atem* constituto, vnde non exempla modo per-
tractan-

tractandarum disciplinarum, sed ipsi etiam Doctores petendi erunt, altius omnia prouehentur, proque consequenda Laurea Theologica seuera examina instituentur. Speciatim vero Alumni qui decurso quadriennio ab Episcopis ibidem ad binos insuper annos relicti, vel e Lyceis Dioecesanis eodem translati fuerint, hunc erunt in modum plenius excolendi:


a) Anno primo recolent vberius Linguas, quas vocamus sacras; Scripturam vtriusque Testamenti exactam ad leges hermeneuticas; Historiam Ecclesiasticam cum crisi, et idoneis animaduersionibus. Operam praeterea dabunt Iuri Naturae Vniuersali, Gentium, et Ecclesiastico.

b) Altero repetent Capita Dogmaticae, Polemicaeque Theologiae; Morum item, et Pastoralis Doctrinae, Iurisque Ecclesiastici. Ad haec audient Ius Patrium, eiusdemque institutiones, receptas Regni consuetudines, et praxim.

c) Anno vtroque tam Philosophi, quam Theologi excolere quoque sese poterunt in Historia Naturali, et Re Rustica; in Methodo item Scholarum Vernacularum.

d)

d) Cum praeter duos Professores biennio huic peculiariter destinatos, et vnum extraordinarium, praesto futurus sit Rector, ceterique eiusdem adiutores domestici; eorum opera manu ducentur, et exercebuntur in Ritibus, atque Cerimoniis Ecclesiae, in Concionibus, et Catechesibus rite instituendis.



CA-

CAPVT VI.

De Institutis quibusdam affinibus.

§. 143.

Instituta, quae hactenus persequuti sumus, huc potissimum referuntur: vt sint quaedam veluti Seminaria, in quibus Iuuentus ad munia Rei vtriusque publicae rite in posterum obeunda informetur. At restant etiamnum alia, quae vel ad peculiarem Ciuium quorundam institutionem, vel ad eruditionis perfectionem, nomenque Nationis in Regno Literario illustrandum pertinent. Tametsi autem haec propter multiplicia aerarii onera ad plenam perduci maturitatem continuo nequeant, paucis tamen isthic adumbranda sunt, vt constet, quonam intendi cogitationes debeant, postquam Fundorum vires paulo magis conualuerint.

§. 144.

Nemo sane Nationi nostrae tam est iniquus, vt neget, eandem a natura ipsa ad omnes Artes Bellicas egregie comparatam esse. Quapropter Curae huc etiam conferri debent, vt occasio egentiorum potissimum Nobilium liberis suppeditetur artes isthuc facientes condiscendi, atque ita viam sibi ad altiores quoque Militiae Praefecturas muniendi. Praeclaro hanc in rem exemplo praeiuere iam tres illi, amore suorum popularium excitati Viri, quorum memoriam Patria anno 1802. per Tabulas Legum consecrandam, et aeternitati transcribendam esse duxit. Tametsi autem *Militaris Schola* omnibus absoluta numeris nondum in Regno possit constabiliri, addentur tamen Vniuersitati duo Professores rerum militarium peritissimi, qui Candidatos annuis prouisos stipendiis, immo quosuis alios in studia haec propensos e norma celebriorum Academiarum instituant. Patebit haec Schola Tironibus etiam, cultoribusque Philosophiae; cumprimis autem Mathematica Collegia, et Delineationum exercitia; Palaestra item Equestris in Academia Nobilium, in ipso Vniuersitatis domicilio constituenda. Qui peculiares fecisse progressiones Professorum ad-

testa-

testatione comperientur, mittentur ad Austriacas Militum Academias, vt vsum earum rerum, quarum theoriam, atque fundamenta domi combiberunt, extra patriam sibi comparare possint.

§. 145.

Cum Artes, et Scientiae ad *Rem Metallurgicam* pertinentes hactenus Schemnicii Germanica duntaxat tradantur lingua; constet autem non paucos hoc in Regno, adnexisque Prouinciis esse Adolescentes, iisdem non condiscendis modo, sed etiam vtiliter deinceps exercendis peridoneos, neque tamen linguae illius magistrae cognitione sic imbutos, vt pares sint institutionibus hisce cum fructu excipiendis; magnopere videtur interesse, vt in horum, publicaeque rei gratiam, peculiaris illic Doctor stipendio conuenienti ex literario aerario prouidendus constituatur; qui has institutiones Latino quidem, Iuuenibus familiari sermone, adornet; sed vna ineuitabilem hac in scientia Germanici idiomatis necessitatem ostendat, technicaque vocabula ad plenum eorum intellectum, et vsum exponat. — Nemo autem studiis hisce destinabitur, qui non ante elementis Algebrae, Geometriae, Physicae, Mechanicae, et

quan-

quantum fieri potest, etiam Mineralogiae rite imbutus fuerit. Qui semet diligenter impenderint, ac distinxerint, Stipendiis ex Aerario Camerae Montanae dependi consuetis, ad normam nouissimae Legis, ea plane ratione, qua ceteri Regii, vt vocant, Practicantes prouidebuntur; quamquam pro re nata nonnulli peculiaribus hunc in finem naturae donis instructi, etiam stipendiis Regiis ordinariis adiuuari poterunt. Qui studiorum cursum ea, quae par erat, sedulitate absoluerint, vsumque eruendis, ac tractandis Metallis necessarium sibi comparauerint, peculiarem insuper in Rem Metallurgicam propensionem, atque habilitatem ostenderint, prorogato ad biennium stipendio, et subsidio etiam aliquo e studiorum aerario, si nullum aliunde suppetiuerit, adiecto, ad visendum aliarum quoque fodinarum officinas dimittentur; deinde vero tam hi, quam etiam alii, qui cursum plena cum adprobatione terminauerint, ad consueta munia Metallurgica, paribus ceteris, ante alios admouebuntur.

§. 146.

Nationes exterae, quae in Republica Literaria hoc potissimum seculo inclaruerunt, vsae hunc

in

in finem fuerunt tanquam adminiculo praesentissimo, peculiari quadam *Eruditorum Hominum Societate*, qui aliis soluti curis operam excolendis bonis artibus, et scientiis vnice impenderent; quas quidem Gens quaelibet e situ, adiunctis, et necessitatibus Patriae suae definiebat. Igitur nos quoque decet cogitatione altius adsurgere, et scholis iam rite ordinatis, conatus omnes huc intendere, vt eruditum eiusmodi collegium apud nos etiam, vt primum licuerit, adolescat; nec erit anxie quaerendus campus, in quo eiusdem industria elaboret. Quisquis enim Regnum Hungariae, adnexasque eidem Prouincias oculo non fugitiuo perlustrauit, negare haud potest, illud omnibus fere Naturae beneficiis ad vitam non commode solum, sed etiam cum voluptate ducendam, large effuseque instructum esse. Nuspiam certe mater natura in procurandis frugibus, pascuis, plantis, metallis, animantibus fuit liberalior. Verum in rebus huiusmodi tam cognoscendis, quam in vsus nostros rite traducendis non inertia, sed temporum vicissitudine, calamitateque hactenus retardati fuimus: cogitationem de re, cuius pretium, et vtilitatem Patria nunquam non perspexit, hactenus suscipere non potuit,

sed

sed sua consilia in pacatiora haec tempora reseruauit. Hinc autem suapte consequitur, nouellae huic societati duo haec imprimis oportere esse proposita. Primum, vt oculo erudito perlustret Prouincias, omnesque naturae procreationes diligenter exploret; deinde vt videat, quonam pacto res vnaquaeque in meliorem, quam hodie, vsum possit conuerti. Illud praestabunt Viri in vniuersa naturae historia, et cognitione praeclare versati; hoc autem illi, qui se studio agrestis Oeconomiae, Technologiae, ac Mechanicae expoliuerunt; quibus in subsidio erit Chemia, et Physica. Quia vero vetustam, qualis haec nostra est, Nationem decet, non vtilitate duntaxat duci, sed etiam Geographica Patriae, et Historica maiorum suorum cognitione agi; ad studia Societatis pertinebit Historiae quoque domesticae expolitio cum Archaeologia, Numismatica, et Diplomatica. — Sed haec in Instituti huius peculiari adumbratione plenius declarabuntur.

§. 147.

Cum autem omnis cultura vnice scientiis, artibusque ad vsum quotidianum necessariis non absoluatur; sed decorem insuper in vitae agendae

ra-

ratione, inque rebus omnibus elegantiam, et gustum exquisitum postulet; adiungentur Vniuersitati *Artes* etiam *Liberales*, quas iam Formatrices vocant, Pictoria scilicet, Statuaria, Plastica, Sculptoria, et his affines, quibus alii quidem ad ipsas earundem effectiones, alii vero ad delicatiorem in iisdem gustum informentur. At de his quoque vberius agetur suo tempore in scripto particulari.

§. 148.

Sed nihil est, quod Nationem magis commendet, quam linguae propriae perpolitio, et ad vsus quosuis adcommodatio. — Habet sane *Lingua Hungarica* mirum in sermone leporem, et suauitatem, magnam in expromendis cogitationibus faecunditatem, vim in rebus quibusuis ob oculos ponendis singularem; verum partim bellorum varietates, partim curae publicae alio vertendae in causa hactenus erant, quo minus pro dignitate excoleretur. Nunc vbi beata Pax Regna perambulat, et amaeniores Musae multorum Patriae Filiorum corda occupauerunt, linguas etiam ad loquendum, manus ad scribendum feliciter resoluerunt, sperandum est firmiter, non de-

futu-

futuros omnino, qui sua studia peculiariter ad culturam Sermonis Patrii conferant, et Lexica, aliaque Gentilitatis nostrae opera bono cum gustu conficiant; quae si Typographia Vniuersitatis obtinuerit, suisque prelis expresserit, iustum Autori praemium, laborique mercedem repensura est.

§. 149.

At cum Linguam Gentis maternam propagatam volumus, eas, quas vicini, aut cultiores loquuntur Populi, nullo modo cupimus esse neglectas; quem in finem peculiaris est *Linguae Germanicae* Magister apud Vniuersitatem constitutus. Quia vero commercium nationi nostrae cum Prouinciis, iuribus Portae Ottomanicae obnoxiis, non paruum intercedit, e re futurum est, vt *Linguae* quoque *Turcicae*, et *Graecae vulgaris* Doctor stipendio publico conducatur: cui tamen integrum sit, cum opulentioribus discipulis moderatum quodpiam subsidium stipulari. Sed nec Linguarum *Gallicae*, et *Italicae* Institutores desiderabuntur, didactro publico prouidendi in eorum gratiam, qui iis addiscendis semet dedere voluerint. Licebit his equidem Magistris etiam de penso quopiam menstruo cum Auditoribus, melius a

for-

fortuna comparatis, pacisci, nihil tamen exiget ab egentioribus. — Ceterum ista Literarum, e Scientiarum, Bellarumque Artium Collegia, e Praesidia, neque nunc illico, neque simul, ec demque tempore omnia, verum sensim et sub inde, vbi, et quatenus per vires aerarii literar licuerit, oportebit in effectum deducere.



PARS

PARS SECVNDA

DE

GVBERNATIONE REI LITERARIAE

ET

OFFICIORVM DISTRIBVTIONE.

§. 150.

Suprema Scholarum, Reique Literariae p testas, et gubernatio e placitis legum domestic rum est penes Regem, Regnorum Principem, q cum per sese vastam hanc, et immensam pr pemodum negotiorum molem moderari non po sit, proxima eius procuratio, et administrat Consilio Regio Locumtenentiali est tradita. H ergo summa rerum vertitur, hoc e Tribuna eduntur mandata, hoc ad forum redeunt neg tia, hinc mouentur, et reguntur publica Scienti rum Collegia, Iuuentutis Studia, et vniuers Educationis instituta: atque hoc caput est re Nunc iam speciales totius Gubernationis parte explicandae sunt.

SECTIO I.

DE GVBERNATIONE.

CAPVT I.

De Vniuersitatis Regiae Gubernatione.

§. 151.

Simplex illa, et expedita regendi ratio, quae in aliis Scholarum praefecturis, immo in exteris quoque Academiis obtinet, hic etiam locum habebit; idcirco datur Vniuersitati *Praeses*, Vir excellens, et auctoritate conspicuus, qui in loco resideat, cunctaque temperet, et ipsa Personae dignitate omnes in ordine contineat; ad quem tamquam proximum Gubernationis caput, ac centrum rerum omnium cognitio deferatur; qui Facultates omnes ad praescripta cuique systemata exigat, in statutis vero communibus conuenien-

tiam tantopere necessariam procuret. — Pecu liares huius officii partes suo loco singularius ex ponentur. Vt autem Praeses et negotiis Vniuersi tatis sufficere, et rebus suis intendere possit, ad iungitur *Alter*, qui vices eiusdem vna *cum mu e re Cancellarii* Vniuersitatis obeat; ceterum parte in gubernatione illas duntaxat habebit, quas ill Praeses diserte crediturus est.

§. 152.

Magistratus Vniuersitatis, qui Rectore, qua tuor Decanis, et totidem constat Senioribus, pe culiari, quemadmodum hactenus, gaudebit iuris dictione, suosque quot hebdomadis habebit Con sessus. Materiae ad deliberandum proponenda Decanis, tamquam ordinariis Facultatum suarur Referentibus; si autem hi impedirentur ab officic Senioribus erunt distribuenda; qui breue eorur dem compendium, vna cum suo suffragio in Cor sessu deproment scripto, tum e sententiis potior suffragiorum numero conclusis conficietur Com mentarium; hinc autem expeditiones facienda Praesidi eum in finem exhibebuntur, vt adscripti ab eodem voculis: *vidit Praeses*, denique a Rectc re subscribantur, et eo, quo spectabunt, trans mit-

nittantur: Protocolum ipsum Consilio Regio re-
ıraesentabitur.

§. 153.

Vt autem Magistratus iste negotia ordinate
ıertractare possit, idoneis ad eadem expedienda
onstare debet Personis. Quare tam *Rector* Vni-
ıersitatis, quam Facultatum *Decani* sine omni
ırdinis, vel annorum praerogatiua semper liberis,
ıc secretis suffragiis eligentur, ita, vt haec offi-
iorum, honorumque insignia, quae alias e vete-
i consuetudine sunt annua, Viris de officio prae-
lare meritis etiam prorogari possit. — Ne vero
ut conflictus suffragiorum in deligendo Rectore,
el in quemuis alium, quam Facultatum ipsarum
ırdinem conspiratio suboriatur, ius suffragandi
ıraeter Decanos etiam quatuor Facultatum *Senio-*
ibus in hac electione adtributum esto.

§. 154.

Sed ne muniis hisce soli Professores, lite-
ariis alioquin distenti negotiis, deinceps occu-
entur, poterunt etiam alii, laurea doctrinarum
nsignes Viri in *Collegia Facultatum* ea lege *ad-*
ptari, vt qui gradum illum dignitatis in hac ipsa

Vni-

Vniuersitate sunt consecuti, sex; qui vero in aliis, ad Monarchiam tamen Austriacam pertinentibus, Doctores sunt creati, duodecim dependan numos aureos; Extranei demum omne illud pensum, quod conferendo huic gradui constitutum est, praemisso doctrinae specimine publico, persoluant, inter Facultatis Membra distribuendum quod ipsum de Professoribus quoque in Collegium cooptari volentibus erit intelligendum. Hunc porro in modum adlecti Doctores ius adipiscuntur ad Rectoris, et Decanorum honores consequendos.

§. 155.

Iurisdictio Magistratus ordinaria versabitur in negotiis Ciuium suorum litigiosis ex aequo, et iusto componendis; in tuenda morum, inter Catholicos vero etiam pietatis disciplina; in examinandis, plectendisque Academicorum delictis grauioribus; in rebus Vniuersitatis Politiam spectantibus; in controuersiis ciuilibus, causisque Criminalibus e praescripto ordine, ac legum domesticarum norma dirimendis; in negotiis denique sibi a Praeside, vel Consilio Regio commissis diligenter expediendis.

§. 156.

§. 156.

Facultas quaelibet Decano praesidente suos item habebit temporibus statis *Consessus*, ad quos Collegae omnes sine discrimine conuocabuntur; vbi negotia ad Facultatem adtinentia pertractabuntur, et acta a Consessore omnium nouissimo in scriptum redigentur: quae subinde nomine, manuque Decani signata Magistratui Academico exhibebuntur. His in Conciliis speciatim de illorum meritis consultabitur, qui Doctorum nomina et ornamenta ambiunt, vel in Senatum eorum recipi volunt; quiue vacantibus in Facultate Cathedris admouendi sunt. At ipsa doctrinae Laurea, honorisque gradus, vt eidem conueniens dignitas concilietur, paulo solennius, atque hactenus vsitatum fuit, conferetur.

§. 157.

Officium Decanorum, in quos munia veterum Directorum transiuerunt, generatim est curare Morum disciplinam inter Facultatis suae Alumnos; apud Catholicos autem etiam praescripta Pietatis, atque Religionis exercitia; vnde et delicta primum ad eosdem tamquam iudices ordinarios deferentur;

tur; quae vel ipsi plectent, et emendabunt; vel si paulo grauiora fuerint, Conuentui Facultatis, aut etiam, prout eius sententia fuerit, Magistratui Academico denunciabunt. Praeerunt publicis Facultatum suarum examinibus; aut impediti quempiam e Senioribus surrogabunt; consuetas Auditorum informationes cum Professoribus concinnabunt; priuatum Facultatis aerarium administrabunt, eidemque rationes in exitu officii reddent; discessuris consignabunt Testimonia sigillo Officii communita; operam denique dabunt, vt Professores docendi munere rite defungantur. In Facultate Medica *Superinſpectio* Regni Archiatro ea ratione est commissa, vt ad internam Facultatis directionem semet quidem haud immittat, sed tamen liberam habeat potestatem non solum in rebus Sanitatem concernentibus, verum etiam in Re ipsa Literaria Medica, si quae occurrerint obseruationes meritoriae, Consilio Regio proponendi. Quapropter Decanus, qui directionem Facultatis habet a Praeside, et Magistratu Vniuersitatis, consilia cum Archiatro fouere, et mutua eiusdem opera vti potest.

§. 158.

§. 158.

Cancellaria Vniuersitatis, Pedellus, et Mediastini a Rectore pendebunt hac ratione, vt eos et assummere, et dimittere possit, si Praeses Vniuersitatis suffragetur, et visa causa annuat. Habebit praeterea ius inspiciendi aerarii; expensarum tamen assignationes semper ex ipso Magistratus consessu scripto faciendae, actisque eiusdem inserendae erunt.

CA-

CAPVT II.

De legendis pro Vniuersitate Professoribus.

§. 159.

Cum Educationis susceptae exitus a bono Professorum delectu vel maxime pendeat, perquam magna semper hac in re erit adhibenda circumspectio; in qua si deerretur, omnis reliqua solicitudo in nihilum recidet. Sublata Iesu Societate cui Scholarum per Regnum administratio maxima ex parte concredita fuit, cura Iuuentutis educandae ad publicam deuolui coepit prouidentiam Quare vt constaret, quibusnam depositum suum pretiosissimum repente confidere Respublica possit, necesse tunc quidem fuit, vt solenne quoddam Tentamen institueretur, vbi Candidati suam ad docendum habilitatem edito experimento palam facerent. Verum bonarum Artium, ac Scientiarum cultura ab annis iam compluribus latius propagata, cum non amplius desint e quonis

Ci-

Ciuium ordine Viri, quorum hunc ad finem dotes alia etiam via perinde cognosci possint; non videtur delectus aleae concursuum, quales erant hactenus, deinceps esse committendus; praesertim cum in his vsus ipse non parua ostendat incommoda. Constat enim, ad hocce breuissimi temporis experimentum non se demittere Viros meritis in republica literaria iam inclytos; praeterea multos impediri officio, itinerum difficultate, sumptuum defectu, ipsiusque exitus incertitudine; atque ideo facile euenire posse, vt neglectis dignioribus, homines aliquando ingenio debiles, mediocres quidem certe, adrepant ad docendi munia. Adde, quod ob adiuncta temporum pluribus non raro mensibus desint Iuuentuti Institutores. Quemadmodum igitur de aliis non minus necessariis Professorum dotibus, de quibus nullum in eiusmodi tentamine capi potest experimentum; ita etiam de ipsa doctrina aliae sunt ineundae cognoscendi viae.

§. 160.

Sed antequam delectus imposterum habendi ratio proponatur, dicendum est de remediis, et adminiculis, quibus Candidati plures obtineri, et me-

meliores ad professionem Scientiarum haberi possint. — Iuuentutem Hungaram, praecipue nobilem certatim concurrere ad Militiam, Comitatus, et Dicasteria tam Politica, quam Iuridica, palam est, et in oculis omnium; contra Arenam Literariam, officiaque Scholastica non multos adpetere: tametsi pluribus nec ingenium, nec animus desit ad culturam Liberalium Artium. Admonendi sunt igitur stimuli, excitandi animi, suggerenda subsidia. Erunt autem talia:

a) Si Professoribus certae stipendiorum accessiones fixa lege constituantur, et tribuantur; illi vero, quorum vel aetas ingrauescit, vel corporis vires elanguescunt, sine vllo conditionum discrimine ad quietiora in Scholis directionis munia promoueantur, aut congruis praesidiis ad dies vitae instruantur.

b) Si Iuuenibus aliquot ingenii praestantioris, et ad Professorum munia propensis stipendia primae Classis adtribuantur, et posteaquam ordinarium studiorum cursum consummauerint, prouidentia Doctorum, et Praesidum foueantur, sustententurque tamdiu, dum in peculiaribus Vniuersitatis Disciplinis sese excolant, et inde vel

ad

ad Cathedras Academicas transferantur, vel ad priuatas Nobilium Praefecturas adplicentur.

c) Si selectiores quidam rerum Philosophicarum, et Medicarum Auditores in societate vnius, duorumue noti nominis Doctorum, ad inuisendas exteras Academias sumptu publico expediantur. Cuiusmodi peregrinatio Candidatis nostris tanto magis est necessaria, quanto minor suppetit spes, vt Res nostrae Medicae, et Philosophicae nunc adhuc ad eum perfectionis adsurgant gradum, in quo iam hodie collocatae sunt apud exteros; vbi et maior inuenitur artificum copia, et subsidia totis fere seculis immani sumptuum profusione sunt comparata: quorum notionem, nisi foris collectam, nemo vnus possit sibi polliceri; maxime, si praeter experientiam desit etiam linguarum notitia, desit literarium cum exteris commercium.

d) Si Iuuenibus peculiares in Vniuersitate Disciplinas excolentibus Campus patefiat, eruditas atque in commune vtiles lucubrationes in lucem emittendi, ac remunerationem meritis suis condignam adipiscendi, quae quidem peculii augendi occasio ne ipsis quidem Professoribus erit interclusa.

e)

e) Nec paruae poterunt expectari suppetiae ab iis Ecclesiasticis, qui in Vniuersitate studiis altius prouehendis se se impendent; si quemadmodum illi, qui de Animarum Cura praeclare sunt meriti, ab Episcopis; ita vicissim, qui Iuuentutis educationem singulari cum industria promouent, eademque opera de vtraque egregie merentur Republica, a Consilio Regio in Canonicorum Collegia adlegendi Regiae Maiestati proponantur: quo pacto fundus Pensionum haud parum subleuabitur. Spe hac adempta, nunquam adiicient ad docendum animum Viri e Clero idonei; sine quorum tamen subsidiaria, aliqua saltem in parte, opera neque Instituta subsistent literaria, neque Parentum animi de liberorum educatione anxii conquiescent.

f) Quod ad Honorem, qui Tullio, et experientia teste Artes vel maxime alit, seu characteris gradationem adtinet, certum est: Munus eorum omnium, qui publicam Iuuentutis educationem quoque modo procurant, tam sua, bonarumque artium, et morum natura; quam illa, quam societati ciuium praestant beneficentiae amplitudine, in vniuersum esse perquam honorificum, et excellens, deberique Ministris in hoc officii gene-

genere strenue desudantibus magnam existimationem, et singularem honoris praerogatiuam. Eapropter aequum omnino est prouidere, et agere, vt horum officiorum dignitas omnibus Regni Statibus, et Ordinibus Nomine Regio maiorem in modum sit commendata; atque iterum, denuoque declarasse: Viros de Literis, atque Iuuentutis Educatione praeclare meritos ciuilium quorumuis remunerationum perinde esse capaces, atque illi sunt, qui Regni Dicasteriis peculiaria seruitia praestiterunt.

§. 161.

Honore Literis hunc in modum comparato, et quod caput est, effectu ipso declarato, sperari sane poterit, nunquam defuturos, quibus Iuuentutis institutio tuto concredi possit. Norma porro Doctorem deligendi huc redit: Si Cathedram quampiam in Vniuersitate vacare contigerit, re Consilio Regio nunciata, illico, nisi Vir quidam illustris exterus, aut domesticus vltro videretur euocandus, non Iurisdictionibus modo, sed priuatis etiam, et vbique ope publicarum Ephemeridum reddetur notum, adiectis dotibus in Candidato necessariis, et stipendio Cathedrae emenso; idque

adeo

adeo tempestiue, vt quicunque animum ad eandem adiicere voluerint, legitima morum, et habilitatis suae documenta colligere, ac intra definitum tempus Consilio Regio submittere possint. Vnde primum quidem Magistratui Vniuersitatis pro depromenda opinione communicabuntur; deinde vero coram pleno Consilii Regii Senatu ad examen vocabuntur; atque ita delectu secundum regulas instituto, Candidati Regiae Maiestati proponentur. — Si Cathedra quaepiam in Theologica Facultate vacua fuerit reddita, Candidati recurrent ad Regni Primatem; vel hac etiam sede vacante, ad antiquiorem eo, quo supra dictum est, ordine Praesulem; qui Consilio cum Praeside Vniuersitatis communicato delectum ex eadem norma faciet, et per Dicasterium Politicum Altissimo Iudicio substernet. — Ipse autem delectus ad haec capita exigetur.

a) Praerogatiuam ante alios illi habebunt, qui non modo Cathedram eiusmodi publica cum adprobatione iam administrarunt, verum etiam editis in lucem operibus in Republica Literaria inclaruerunt, ac de vtroque luculenta testimonia submiserunt.

b) Post hos eorum erit habenda ratio, qui tametsi nullas emiserint in publicum lucubrationes, munus tamen docendi singulari cum commendatione alibi exercuerunt, idque fide dignis documentis comprobauerunt.

c) Tertio loco illi venient, qui docendi quidem munere nondum erant functi, emissis nihilominus in lucem operibus praeclara eruditionis, et ad propositam Cathedram habilitatis dederunt specimina.

d) Qui demum neque docendo, neque quidpiam commentando, vnde ferri de iisdem iudicium posset, publicam sibi famam adhuc comparauerunt; conscii tamen sibimet sunt de necessario ad subsellii vacantis administrationem adparatu, sistent se se intra tempus praestitutum in Vniuersitate Regia, vbi e Disciplinis, quas profitentur, pertentabuntur; et siquidem adprobationem retulerint, nec tamen hac vice voti damnari potuerint, tentamen istud eo valebit, vt deinceps citra nouum id genus experimentum prouocare possint ad testimonium ab Vniuersitate acceptum.— Sicubi arbitri illi, quibus depromendae opinionis delata est prouincia, a norma isthic praescripta recedendum esse putarent, ne studium partium in

L dele-

delectu se sé misceat, speciatim adferent momenta omnia, quibus inducti id sibi faciendum esse iudicarint: secus nulli erit integrum ordinem perturbare, Candidatos pro arbitrio duntaxat proponere, et non tam officiis homines, quam officia hominibus quaerere.



CA-

CAPVT III.

De Gubernatione Regiarum Academiarum.

§. 162.

Hungaria omnis Literaria diuisa est in *Praefecturas*, (Districtus vulgo dicimus) quae cunctos Regni Comitatus, et adnexas Prouincias complectuntur. Tales autem sunt sex, a praecipuis earundem Vrbibus nominatae, nempe: Budensis, Posoniensis, Iaurinensis, Cassouiensis, Magno-Varadinensis, et Zagrabiensis. *Praefectura* imprimis

a) *Budensis* complectitur Comitatum Albensem, Bacsiensem, Comaromiensem, Pesthinensem, Strigoniensem, et Regionem Jazygum cum Cumania minore.

b) *Cassouiensis* habet Prouinciam de Abaujvar, Beregh, Borsod, Gömör, Heves, Neograd, Saaros, Scepus, Torna, Vnghvar, et Zemplin.

c) *In Iaurinensi* censetur Baranya, Castrum-Ferreum, Iaurinum, Moson, Sopron, Simegh, Szala, Tolna, et Wesprim.

d) In *Magno-Varadinensi* sunt itidem Comitatus Arad, Békes, Bihar, Csanad, Csongrad, Krasso, Marmaros, Szathmar, Temes, Torontal, Vgocsa, Zabolcs, Cumania maior, et Oppida Haidonicalia.

e) In *Posoniensi* Arua, Bars, Honth, Nitria, Poson, Lypto, Thurocz, Trenchin, et Zolyom.

f) Denique in *Zagrabiensi* Crisium, Posega, Syrmium, Varasdinum, Veröcze, Zagrabia, et Litorale Hungaricum.

§. 163.

Praefecturis hisce singulis praeficitur a Rege *Director*, vir ordinis conspicui, qui a potestatis amplitudine *Prouincialis* dicitur; et quia virtute sui muneris, axioma gerit Consiliarii Regii, omnibus illis pollet praerogatiuis, quae huic nomini, dignitatique sunt adtributae. Budensem Praefecturam idem ille sustinet, cui officium Propraesidis in Vniuersitate Scientiarum est collatum. Directorum Prouincialium *iurisdictio* extenditur ad omnia illa Scholarum genera, quae intra ambitum Praefecturae sunt collocata; speciatim autem gubernabunt Athenaeum, quod est caput Prouinciae: ibique defigent suum domicilium, et foue-

fouebunt communionem negotiorum cum Consilio Regio. Budensis cum nullam habeat sua in prouincia Academiam, et vna sit in Vniuersitate Cancellarius, ac Vicarius Praesidis, Pesthini residet. Officia porro cuiusque in regendis sui domicilii Scholis eadem pleraque sunt, quae Praesidis in Vniuersitate: habent ad manum Actuarium, et Scribam, quem suo arbitratu renunciant, et adsumtum superiore potestate confirmari petunt. Cetera suis locis proponentur.

§. 164.

Cum vero euenire possit, vt Director negotiis nonnunquam sic ferentibus ab exequendis muneris sui partibus impediatur, adiungitur eidem subleuando *Prodirector*, autoritate Regia denominandus, non e Professoribus, qui officio docendi occupantur, sed e Doctoribus, dum haberi possunt, emeritis, et rude donatis; cuius munia in regimine Scholarum illa duntaxat erunt, quae Director eidem distincte committi posse iudicauerit.

§. 165.

Adsunt praeterea Magistri Iuuentutis, cum quibus Director crebrius considebit; neque enim in tanta studiorum, et morum, auditorumque va-

rie-

rietate, et legum scholasticarum numero deesse potest causa *Consessus* saepius habendi, siue ad tuendam morum disciplinam, siue ad promouendum doctrinarum progressum. Exponet igitur Director causas Conuentus, adpellabit Professores ad ea, quae ipsi adtulere, libere depromenda; quaeret opiniones non tam definitionis, quam consilii gratia, sibique persuadebit, quod hactenus experientia docuit: tantum in Professoribus esse adiumenti non modo ad studiorum ordinem, et morum integritatem conseruandam, aut restituendam, verum etiam ad clauum potestatis plena cum efficacia tenendum, versandumque, vt sine iisdem sarta tectaque consistere non possit res scholastica, et ibi demum stare opus educationis publicae, vbi vna est Directorum, Docentiumque voluntas, et opera. In absentia Directoris Conuentui praesidebit eiusdem Vicarius, et negotia pro collata sibi potestate moderabitur; nodus autem siquis inciderit difficilior, sententia Superioris per literas e vestigio exquiretur; quae conclusa fuerint, in aduersaria Academiae referentur, et breue, sed tamen plenum Consessuum omnium, actorumque Summarium ad Consilium Regium expedietur.

CA.

CAPUT IV.

De Professorum Academicorum delectu, probationis modo, et tempore.

§. 166.

Quae de modo deligendi Professores pro Vniuersitate, eorumque dotibus, et incitamentis suo loco dicta sunt, huc quoque pertinent; nisi quod *recursus* primum ad Prouincialem Directorem sit faciendus, ac inde opinio ad Consilium Regium submittenda.

§. 167.

Quemadmodum in Vniuersitate, ita hic in Academiis Professores omnes oportet esse laurea Magisterii insignes, et Facultatis suae *Doctores.* Idcirco non alter in Cathedram adsciscetur, vel in ea confirmabitur, quam qui aut iam Doctorum ordinem, honoresque emeruit; aut absolutis intra anni vnius spatium tentaminibus rigo-

gorosis semet adprobauerit, gradumque dignitatis huius literariae obtinuerit.

§. 168.

Vt autem delecti Professores officii sui subsellia rite occupasse dici possint, non sufficiet sola muneris adtributio. Cum enim omnis rei cardo in hoc vertatur, vt literariis functionibus Viri praeclara scientia, et virtute praeficiantur: sane quam necessarium est, vt de ipsorum ad erudiendam Iuuentutem *habilitate*, *morumque ratione* secura reddatur Respublica literaria. Qua de causa, quiscunque ille sit, qui ad altiora disciplinarum pulpita e concursu superius descripto deligendus est; in spem duntaxat, et experimentum, sed tamen integro cum Stipendio, adsummetur ea lege, vt in Lyceis, et Academiis, nisi iam antea Professoris publici laudem, fauentemque suorum Praefectorum calculum emeruisset, biennio; in Vniuersitate vero anno duntaxat vno, tanquam quodam *tirocinio* professionis sibi commissae praeclara documenta praebeat. Nouerit autem, toto hoc tempore oculos illorum, ad quos ea cura pertinebit, in se peculiariter intentos esse, inque omnem agendi, et conuersandi modum

im-

imminere. — Quod si spatio probationis talem se praestiterit, qualem Instituta Literaria desiderant, certaque suae et virtutis, et docendi dexteritatis exempla ediderit; tum vero in officio stabilietur, et confirmationis decretum a Consilio Regio gratuito consequetur. Sin autem adpareret, errorem in delectu obrepsisse, continuo remouendi erunt a susceptis muniis tam illi, qui anno tirocinii non sufficientia suae literaturae, ac in erudiendo habilitatis dederunt specimina; quam quorum indoles, et vitae ratio damno potius, quam emolumento fuit Iuuentuti. Priores quidem ad aliud facilius, vel suo ingenio adcommodatius officium admoueri poterunt; at posteriores aditu ad quamcunque educationis partem in perpetuum arcebuntur.

§. 169.

Dotes voluntatis peculiares, quas quisque adferre debet, hae potissimum erunt: Cum Studiorum *Praesides* ex officii sui praescripto euigilare debeant, vt ea, quae recte ordinata sunt, a Docentibus rite praestentur; in aperto est, ad illos pertinere, vt Scholarum *Magistros muneris sui commonefaciant*, et ad explendas eiusdem partes

tes adstringant. Quemadmodum autem id semper cum significatione comitatis, atque lenitatis facere conueniet, ita vicissim Professores admonitiones huiusmodi ea, qua par est, alacritate, atque parendi voluntate accipient.

§. 170.

Partes Magistris Iuuentutis impositae graues sane sunt, ac permolestae, requiruntque constantem quamdam, et aequabilem animi tranquillitatem; quae locum vtique habere nequit, nisi in *mutua* animorum, et voluntatum *concordia*, hilarique quadam vitae quotidianae consuetudine: haec proinde omnibus curae esse debebit. Si quis iniuria aliqua adpetitus sit, neque immoderationem aemuli coercere per sese possit, iurgii vlterioris vitandi causa rem omnem suo Praesidi deferet, cuius erit litem abrumpere, partesque dissidentes conciliare; et vel controuersiam secreto transigere, siquidem ad conscientiam discipulorum non peruenit; vel si iam publica facta sit, remedium a Foro altiore petere.

§. 171.

Haec dicta eo etiam pertinent, vt talibus exemplis ipsi etiam Auditores ad obedientiam, colendam-

ɔamque pacem, mutuamque animorum, et studio-
·um consensionem facilius adducantur; neque vl-
um patiantur offendiculum. Ex quo facile perspici
ɔotest, quamnam *agendi rationem* inire *Modera-*
or debeat *cum Discipulis;* quorum oculi, omnis-
ɪue adtentio in eiusdem vultu, atque actionibus
ɛst defixa. Nihil enim vero foedius, quam si Ma-
ɡister impatiens Alumnos suos crudis, aut acer-
ɔis etiam dictis exasperet, eorumque animos non
ɩ se modo, sed ab ipsa etiam, quam tradit,
lisciplina per suam agendi rationem auertat. Qua-
·e connitendum erit magnopere, vt mores Prae-
ɛeptorum eiusmodi sint, ad quos Discipuli sese
uto fingere, atque conformare possint. Vnde
ɪecesse omnino est, vt ii, quibus Professorum
lelectus est concreditus, toti euigilent, et cir-
ɛumspiciant, ne quemquam ad munia educato-
·um proponant, aut admoueant, de quo spes
ɛerta non sit, fore, vt talem se in omni vitae ra-
ione exhibeat, qualem quemque Adolescentem
ɛx ipsius disciplina egredientem, vbi aetas ad
naturitatem peruenerit, videre Patria peroptat.

§. 172.

§. 172.

Qui demum tempore probationis laudabilite exacto in Cathedris confirmati sunt, duobus fer modis possunt ab obligatione suscepti muneri discedere. Primum, si ipsorum industria in explenda functione literaria elanguescat; deinde s a vitae, morumque probitate deflectant. Vtriqu principio amica, priuataque admonitione erunt ii viam reuocandi; quae si non proficiat, seuerio adhibebitur comminatio; re autem desperata dabitur a Consilio Regio *manumissio.*

§. 173.

Dicendum est denique de *Magistris Linguarum Hungaricae*, et *Graecae;* quorum in delectu videndum semper id est: an Philosophicis, vel Iuridicis Disciplinis sint ita imbuti, vt, necessitate sic ferente, vacantem hac, vel illa in Facultate Cathedram supplere, aut Professoribus a docendi munere praepeditis vicariam operam praestare valeant?

CA-

CAPVT V.

De Gubernatione Scholarum Grammaticarum, et Gymnasiorum.

§. 174.

Scholarum Grammaticarum, et Gymnasiorum mnium gubernatio velut iam e dictis constat, fficium est Prouincialis Directoris. At in hu- is subsidium Ludo cuiuis Grammatico, Gymna- ticoque peculiaris datur Scholarcha, qui eodem in co degat; et ideo *Director Localis* adpellatur; Vir aturus, literatus, et ad moderandam rem Scho- sticam ipso docendi vsu factus, formatusque: ualis, cum fieri potest, semper e Collegio Ma- istrorum vel emeritorum, vel actualium delige- ır, et muneri admouebitur.

§. 175.

Candidatos pro his Praefecturis Consilio Re- io tres designabit Prouinciae Praeses. Ordines

Re-

Religiosi, quales sunt Benedictini, Praemonstra tenses, Cistercitae, et Piarum Scholarum, e data sibi eatenus potestate Directorem pro sui Scholis deligent, et supremo in prouincia studio rum Praeposito nominabunt: cuius est factum altiori Regni Curiae repraesentare. Cum autem in aperto sit, ab illo, qui toti praeest domicilio Magistros longe melius posse contineri in officio communemque disciplinam, et muniorum functio nes efficacius procurari; in delectu Directorum Localium ante alios respiciendum erit ad eum qui Rector est Collegii: cauendum nihilominus ne, dum gubernationi domesticae consulitur, re literariae non satis prospiciatur; cum duo hae munia dissimiles aliquando in gubernatore requi rant dotes. Si quando visum fuerit e re esse vt directio Scholarum non Religioso, sed extra neo cuipiam Viro committatur; Magistri Religio si ad huius iurisdictionem non alia, quam offic ratione pertinebunt; in quo praestando si negl gentia obseruetur, primum domesticis superior bus erunt deferendi: qui si non possent, aut no lent segnes excitare, et ad muneris partes adcu rate faciendas adducere, tum demum erit defectu Prouinciae Religiosae Praesidi denunciandus.

§. 176.

§. 176.

Speciales muneris huius partes in sequentibus declarabuntur; illud hic vniuerse Directoribus istis praescribitur, vt in Iuuentute curis suis commissa morum probitatem, atque in agendo vrbanitatem procurare maiorem in modum enitantur, agantque, vt Scholares sui corpore, et animo, omnique motu, et cultu ad liberalem, honestumque habitum se se componant. Nihil patiantur in iis incultum, et indecorum, nihil absonum, et extra normam; impune non sit, quidquid oculis, auribusque esset offendiculo. Antiquior Humanitatis Professor in quouis Gymnasio, et Senior Magister in Ludo Grammatico, vbi nempe Scholae desunt altiores, est Directoris Vicarius; cui proinde subsidiariam in rebus officii praestabit operam.

CA-

CAPVT VI.

De legendis Magistris.

§. 177.

Norma Studiorum per omnes Grammaticae, Humanitatisque Scholas est vbique locorum eadem; sed cum Scholae aliae suprema potestate traditae sint curae Ordinum Religiosorum, aliae administrentur promiscue a Viris sine discrimine status singillatim delectis, conditio, classisque Magistrorum est dispar. Religiosi tirocinium magisterii, postquam Nouitii esse desierunt, ponunt intra septa sui Coenobii; Candidati alii, qui ad professionem rei Scholasticae venire gestiunt, formari possunt in Academiis, et Vniuersitate bonarum Artium; in priuatis, publicisque paedagogiis. Ceterum vtrumque istud Magistrorum genus oportet esse disciplinis Philosophicis probe excultum.

§. 178.

§. 178.

In Scholis Religiosorum Praepositus Ordinis Magistrum rite praeparatum statuit, Prouincialis Studiorum Director, nisi iustam exceptioni causam n eo reperiat, suo suffragio confirmat; quem leinde loco mouere intra annum scholasticum, ne cursus etiam institutionum remoram patiatur, ieutri est integrum, nisi peculiaris, et vrgens atio interueniat. Exacto anno fas erit mutationes facere, quas res Ordinis postulat.

§. 179.

Cathedrae Scholarum, quae sumptibus aerarii literarii sustentantur, more veteri, ope nimirum *Concursus* conferentur. Igitur

a) Vt primum Director Prouincialis intellexerit vacare magisterium, Consilio Regio adnuntiabit; cuius est Concursui diem in sede Directionis Superioris praefigere, et per encyclicas prouinciis omnibus literariis tempestiue notam reddere; vt scilicet Candidati e locis quoque remotioribus commodum adesse possint.

b) Concursum moderabitur idem Director; arbitri autem erunt Magistratus Academicus, et

ex Archi-Gymnasio Professores illius Scholae, prc
qua Magister quaeritur.

c) Argumenta Tentaminis desummentur e:
omnibus disciplinis, quae Scholae Magistro desti
tutae sunt propriae; responsa depromentur voce
et scripto, dataque stylo materia elaborabitur.

d) Haec omnia in examen accipientur vn
cum Libellis eorum, qui se per literas insinua
runt; expendentur specimina, et documenta, qua
hi, et illi pro comprobanda morum suorum in
tegritate, plenaque corporis, et ingenii ad do
cendum habitudine adtulerunt.

e) Si cetera sunt in concursu paria, Magistr
Grammaticae habent ius proximum ad Schola:
Humaniores.

f) Facta collatione, numeratisque Censo
rum calculis terni seligentur, et Consilio Regi
cum documentis, actisque omnibus proponentur
atque ita demum vltima renunciatio expectabitu

g) Tempus probationis erit annuum; sola sur
Archigymnasia, pro quibus nec Concursus in
dicitur, nec tempus experimento statuitur; se
illi tamquam ad praemium euocantur, qui sat si
perque probati semet in docendo distinxerunt, c
praecellentia merita compararunt.

CA-

CAPVT VII.

De Scholarum Vernacularum Administratione.

§. 180.

Scholae Vernaculae communem rei totius publicae solicitudinem exposcunt, tum quia harum alumni maximo esse solent numero; tum quia aequabilis docendi ratio, a qua paene omnis institutionis fructus dependet, hic, si vspiam, est retinenda; tum denique quia in ludis istis tamquam ceterorum solo prima educationis totius ponuntur fundamenta: in quibus admissus error non potest non grauissima deinceps adferre detrimenta. Quare in his administrandis tam ea, quae ad studia, morumque disciplinam, quam quae ad ipsam gubernandi rationem pertinent, praecipua sane cura erunt disponenda, et consilia eo potissimum referenda, vt discendi labor Pueris accidat facilis, et amaenus: quo fiet, vt paucos intra annos ad rerum vtilium aeque, ac ne-

necessariarum cognitionem perueniant, et cuiuis Ciuium classi idonea parentur supplementa. Hinc praeter illa, quae de his ipsis Scholis iam adlat sunt, vel vna haec cogitatio regulam subministrabit, ad quam politica earundem gubernatio exigenda sit. Nimirum ante omnia oportebit *Magistros* huic muneri destinandos in arte docendi sollicite instituere, atque ita illos demum in Schola distribuere, qui normam eruditionis publica plene edidicerunt, proborum morum documenta repetitaque dexteritatis suae specimina praebuerunt, et necessaria Linguae Patriae, aliarumque rerum notitia semet commendarunt.

§. 181.

Cura haec omnis Directori Prouinciali prae primis incumbit; vt tamen huic etiam Scholarum generi tanto certius, meliusque consulatur, quanto maior est, et esse debet earum multitudo, a varietas; e norma, consuetudineque iam ante stabilita, Scholis Vernaculis in quauis Praefectura literaria praeerit *Inspector* auctoritate Regia nominandus, qui easdem peculiari studio, et vigilantia moderetur. Potestas proponendi Candidatos pro hoc quoque officio Directori Prouinciali

tri-

ribuitur. Praeterea Scholae cuiusuis Primariae suus erit *Director;* Candidatos ad hoc officii genus cum terno eorum, qui videntur aliis antecellere, delectu proponet Inspector Praesidi Prouinciae; qui nomina omnium sua cum opinione transmittet Consilio Regio. — Cum autem *Catechetae* Scholarum Primariarum longe pluribus, ac ceteri, occupentur functionibus comparate tam ad Discipulos diuersarum classium, quam ad Candidatos Magisteriorum; procuratio huius muneris, quantum fieri poterit, non locorum Curionibus, sed aliis ab Episcopo designandis, annuaque remuneratione donandis Sacerdotibus erit committenda. Qui se hac in doctrina seu istis, seu aliis in Scholis singulariter distinxerint, digni certe erunt, qui in operae, negotio tam salutari impensae, praemium ad opimiora Ecclesiae beneficia promoueantur.

§. 182.

Scholis Vrbanis praeponetur *Rector*, qui praeter natiuum Vrbis, Hungaricum quoque Sermonem callere debet, ac in rebus ad institutionem scholasticam pertinentibus ita versatus esse, vt Paedagogos ipsos dirigere, et manu quodam

modo

modo ducere, exemploque suo incitare possit. In rebus officii se superiorem habet Inspectorem prouincialem; annuam autem remunerationem, sicuti conuentum fuerit, accipiet ex Aerario Ciuitatis.

§. 183.

Scholae minorum Vrbium, Oppidorum item omnium, et Pagorum fere Paedagogorum duntaxat, rerumque docendarum numero ab Vrbanis differunt, partim quod in illis Iuuentus pro status sui conditione rerum non ita multarum egeat notitia, partim quod sumtus alendis pluribus Paedagogis plerumque haud suppetant: hinc praeter Catechetam saepe vnicus tantum, aut bini sunt Praeceptores. Quare Incolarum erit prouidere, vt Liberi sui debitam institutionem nanciscantur, et vbi maior est opificum, populique numerositas, Ludi duarum, triumue Classium constituantur. *Rector* earum erit vbique vi sui muneris *Parochus* sub praesidio Inspectoris, et Superioris Studiorum Directoris. Ceteroquin non solum integrum, sed omnino sanctum manet Episcopis, ad has etiam Scholas, quae communi nomine Vernaculae dicuntur, omnem eam, quam gregi suo de-

debent, curam et vigilantiam extendere, agereque, vt pubes omnis Scholastica in verae Religionis cognitione, conformique morum probitate educetur.

§. 184.

Superest, vt hic ea quoque depromantur, quae *ad excitandas in Vicis, et Pagis Scholas* regulam in vniuersum faciunt:

a) Vbi praesto est Parochus, ibi vt etiam Ludus publicus pro vtroque sexu aperiatur, danda est opera.

b) In Pagis quoque, vt dici solet, filialibus, etiam si paruuli Scholas adeundi capaces plene non adaequent numerum quinquagesimum, sed adsunt vires sustinendo Paedagogo necessariae, satis erit momenti ad erigendum institutioni domicilium.

c) Si Vici dimidiae circiter horae interuallo dissiti Scholam seorsim statuere nequeant, collata per partes symbola communem vnam condent, et mutuo sibimet opitulari satagent.

d) Vbi vero montes, vel fluuii, lacus, aut viarum pericula obstant huic communioni, conducantur Praeceptores pacta mercede, dataque post triennium sedulo peractum fide, et spe adipiscen-

piscendi opulentioris Magisterii: quo fauore digni non erunt illi, qui conditionem acceptare, vel accepta stare renuerint.

e) Siqua hominum communitas adeo sit inops, et egena, vt Paedagogum Scholae paganae necessarium alere non possit, Parochus institutionem Doctrinae Christianae suscipiat, et in ea, bonisque moribus paruulos erudiat.

f) Generatim Scribae publici (Notarium vocant) officium a Magisterio segregabitur; cum munus vtrumque ab vnico homine vix possit rite administrari. Vbi tamen praeter Paedagogum etiam Praeceptor est constitutus; Scriba autem peculiaris interteneri nequit: fas erit duo haec munia coniungere.

g) Protectio Scholarum Vernacularum in Pagis, et minoribus Oppidis commendanda cumprimis est locorum Dynastis, templorumque Patronis; qui certe si suum, et Status publici emolumentum in educatione surculorum fundari cogitauerint, pro illa, quam habent, humanitate et dignitate, manum, animumque suum liberalem in subsidium, dotationemque Scholarum desiderari non patientur.

h)

h) Sicubi hi, aut Incolae ipsi Scholam suam ultra promouere, numerumque Paedagogorum augere voluerint, re cum Inspectore communicata, nullum in consilio tam salutari habebunt impedimentum, modo stabilitati operis plene sit promisum.

CA-

CAPVT VIII.

De legendis, dimittendisque Scholarum Vernacularum Magistris.

§. 185.

Magistros Scholarum Primariarum oportet esse ceteris *eminentiores*, itaque in delectu eorum respiciendum est ad omnes illas dotes, quae Candidato praerogatiuam tribuunt, distincteque explorandum, an etiam in Calligraphia excellant, et adridentem oculis scribendi rationem vsu ipso conciliare sciant?

§. 186.

Praeter alios adesse debet *Magister Graphidis*, ad cuius institutiones Pueri non nisi cum delectu, Candidati contra Magisteriorum omnes sine discrimine admittentur, et qui suam hac in arte dexteritatem etiam atque etiam comprobauerint, in collatione Cathedrarum paribus ceteris anteferentur.

§. 187.

§. 187.

Magister Musicae Studiosos Paedagogiae praecipue in tractatione, pulsuque organi erudiet; non enim in pagis tantum, sed in oppidis etiam moris est, Musicam pro Templo plerumque a Ludi Magistro tamquam principalem muneris partem postulare. — Hunc, et omnes alios Scholarum Primariarum Magistros Inspector proponet Directori Prouinciali, et inde confirmationem eorum expectabit.

§. 188.

Cum erectio, dotatioque, et conseruatio Scholarum Vrbanarum sit opus Magistratuum, aequum prorsus est, vt tam *Rectoris*, quam *Paedagogorum delectus* eorundem arbitrio relinquatur hac ratione: vt tres nominatim tam pro regimine, quam pro magisterio suarum Scholarum Candidatos, sed hos regulariter instructos, adprobatosque Inspectori praesentent; et quem Superior Prouinciae Literariae Praefectus suo suffragio renunciauerit, legalem habeant Rectorem, ac Paedagogum: sed ad literarum, vel disciplinae negotium semet nullo modo ingerant. Eadem erit *in Pagis, et Oppidis delectus regula.* Scilicet, Pa-

troni

troni Scholarum exhibebunt Inspectori Candidatorum nomina; sine cuius adsensu Magister nec adsumetur, nec remouebitur.

§. 189.

Si quando *iusta querimoniae causa contra Magistrum* visa fuerit Locorum Dynastis, aut Incolis, res vel ad Rectorem, vel pro conditione scholae, aut personae, ad Inspectorem deferetur; quorum erit in aequitatem propius inquirere, et an ad Magistri exautorationem, vel ad mitiorem duntaxat poenam sit descendendum? diiudicare. Quam in rem sequentes erunt regulae:

a) Si querelis ansam dedit aetas, vel inualetudo Paedagogi diuturnior, iustam meretur commiserationem; proinde vel dandus ipsi erit certo cum stipendio adiutor, vel alia quapiam ratione de subsidio prospiciendum.

b) Si in hoc versatur accusatio, quod sufficientem ad docendum non adtulerit habilitatem; pertentandus erit, et re comperta ad rationem erudiendi plenius condiscendam remittendus; qui si expectationi ne sic quidem responderit, officio priuabitur.

c)

c) Si quis a methodi perturbatione, vel in docendo negligentia, horisque detruncatis notetur, facta per Praepositum inuestigatione, officii serio commonebitur; querelis iterum repetitis addetur missionis comminatio, et non sequuta emendatione, autoritate Prouincialis Studiorum Directoris loco mouebitur.

d) In delicta dissolutam viuendi rationem, animumque deprauatum indicantia, vti essent ebriositas, immoderatus cum Iuuentute agendi modus, partium studium cum detrimento aliorum coniunctum, vetitae lucrorum procurationes, atque alia, quae euenire possunt, sed hic melius praetereuntur, quam dicuntur, pro rei magnitudine animaduertetur; non obtenta vero correctione consequetur ipsa muneris abrogatio.

e) Si quis demum Crimen admiserit, cuius quaestio ad Forum pertinet Iudiciarium, eidem denunciabitur; opera nihilominus dabitur, ne quid interea detrimenti patiatur institutio Iuuentutis.

SE-

SECTIO II.

DE PECVLIARIBVS PRAESIDVM, PROFESSORVM, ET DISCIPVLORVM OFFICIIS.

CAPVT I.

Instructio Praesidis Vniuersitatis Regiae.

§. 190.

Munia officio huic propria ad haec potissimum capita reuocantur:

a) Vt mandata altiora Vniuersitati submissa reseret, Magistratui eiusdem consignet, ac eorum executioni sedulo inuigilet. Quod si praeuideret, e sancitionis cuiuspiam promulgatione graue incommodum, aut perturbationem esse orituram, potest eandem aliquantulum differre, et Consilii Regii sententiam interea exquirere: sua nihilominus autoritate penitus supprimere nunquam erit integrum.

b)

b) Vt Tabulam actorum, seu Protocolum Magistratus Academici, et Facultatum super singulis Consessibus ordinate conficiendum, ac Consilio memorato ocyus submittendum curate reuideat; et si quid non recte gestum animaduerterit, tempestiue corrigat.

c) Vt quoties negotium grauius inciderit, aut eidem e re visum fuerit, Consessum extra ordinem cum Magistratu Academico, vel Facultate, cuius causa agitur, aut quibusuis e Professorum Collegio celebret, cunctosque ad praestandum exacte officium adstringat.

d) Vt praecipuam suarum curarum partem esse putet tamquam de specula quadam euigilare: an Professores horis praestitutis ad praelegendum adsint, nec institutionem cum detrimento Iuuentutis mutilent, aut prorsus intermittant? quem in finem Scholas improuiso adire in eiusdem potestate erit. An item Disciplinae ad praefixam vbique normam exigantur? an praescripta institutionum argumenta plene, atque ordinate pertractentur? an Feriae indultae non prorogentur, aut nouae non inducantur? an Examina eorum, qui Doctorum dignitatem adipisci cupiunt, seuere, acriter, et sine partium studio instituantur? an non aliqui

quae-

quaestuosis intenti negotiis a rite obeundo Professoris munere auocentur? an in pensis, seu Taxis desummendis data regula obseruetur? et an obtentu priuatarum repetitionum pecuniae, cui rei Chirurgi, et Obstetrices peregre aduenientes praebere occasionem possent, extorqueantur? an Medici, et Chirurgi non alii adprobentur, quam quibus vita Ciuium tuto concredi possit? an nihil, quod Christianae doctrinae, morumque fundamenta euertat, auditoribus instilletur? an denique disciplina in omnibus Facultatibus seuere, ac ad communem regulam exigatur?

e) Hisce diligenter intentus Praeses naeuos irrepentes facile corriget, aut praeuertet, ac de vnoquoque Professore semestrem, genuinamque dabit ad Consilium Regium informationem. Cauebit nihilominus, ne sibi subiectorum vel libertatem opprimat, vel iurisdictionem ad se quoquo modo pertrahat.

CA-

CAPVT II.

Instructio Directorum Prouincialium.

§. 191.

Cum officia Directorum Prouincialium in gubernatione Academiarum, aut Lyceorum, vbi sedes ipsorum est defixa, eadem prope sint, quae Praesidis in Vniuersitate; illa potissimum isthic definientur, quae ad totius, cui praepositi sunt, Prouinciae administrationem pertinent.

§. 192.

Director Prouincialis Scholarum omnium sua in Praefectura constabilitarum supremus moderator est: quare plenissimam earumdem cognitionem sibi comparabit, felicesque ipsarum progressiones omni contentione promouebit; cumprimis autem operam dabit, vt Magistri iisdem administrandis quam aptissimi praeficiantur, nec alii euoluto probationis tempore confirmentur,

quam qui Praesidum suorum adtestatione ad munus adsumptum habiles esse videbuntur. Nunquam excidat ex animo, hanc esse debere suam, et Directorum Localium, Praefectorumque prouidentiam, et curam: publicos Scholarum Doctores, et Magistros curiosius obseruare, actionibus eorundem inhaerere, et si qui vel ipsi male sunt morati, vel iam alias admoniti vltro conniuent in vitiis discipulorum, loco superiori sub onere responsionis denunciare, ac praeterea, more olim quoque vsitato, periodicas cum fine semestrium examinum dare informationes tam de Professoribus, et Oratoribus Academicis, quam de Gymnasiorum, Scholarumque Grammaticarum Praepositis. Idem vt Gymnasiarchae praestent de suis, iubebit, et supremo Regni in Politicis Dicasterio cum illis, quae forte insuper occurrent, animaduersionibus, repraesentabit, et nihil dissimulabit.

§. 193.

Cum Consilio Regio commercium negotiorum habebit, de statu Prouinciae sibi creditae illud edocebit, mandata indidem accipiet, et cum Scholarum Praefectis, quantum ad eosdem pertinebunt,

unt, extemplo communicabit; a quibus vicissim
e negotiis obuersantibus certior crebro reddetur,
emestresque de Iuuentute exiget informationes.
um autem has Consilio Regio submittet, adno-
bit etiam, si quas interea fecit dispositiones;
nmo pro re nata ipsas Praefectorum opiniones,
animaduersiones ad Scholas suas pertinentes,
liuncta sua sententia, transmittet. Si quid ope-
eorum effici apud Iurisdictiones nequeat, ipse
uoque suas interponet vices, neque ante recur-
et medelae causa ad Consilium Regium, quam
tas etiam periclitationes, et conatus in irritum
ecidisse viderit.

§. 194.

Vniuerse, magnam curarum partem in eo
net, vt omnia Scholarum Vernacularum genera
e administrentur; Magistri earum, praecipue
imariarum, et Vrbanarum, qui suam industri-
peculiariter adprobauerint, ad stationes com-
odiores; immo Ludorum etiam Grammaticorum
thedras traducantur: quo his quidem merito-
m praemia, aliis vero diligentiae incitamenta
ocurentur. Speciatim adtendet, vt Puellarum
oque eruditio ad amussim vbique exigatur. Ad

vacantem quamuis Puellaris Instituti Fundationem, praemissa intra Prouinciam promulgatione, et Inspectore audito, tres Consilio Regio proponet Candidatas, adiunctis morum, aetatis, literaturae documentis, ac parentum meritis; iure tamen Patronorum integro. Si quae in Collegio, vbi Magistrae ipsae institutioni sexus muliebris destinandae formabuntur, superfuerint Virgines Scholis Puellarum publicis iam rite prouisis, quae priuatis concedi possunt, harum nomina, et dotes sua in Prouincia publicabit, easdemque petentibus commodabit.

§. 195.

Cuncta Literarum Domicilia minimum biennio quouis, aut rebus ita deposcentibus, etiam saepius lustrabit, deque eorundem statu ad memoratum Consilium accurate referet. Erit autem in eiusdem arbitrio aduentum suum aliquot ante diebus annunciare, vel ex improuiso interuenire — In eiusmodi porro visitatione aget cumprimis cum Loci Directore, deque rebus infra commemorandis praeuiam quamdam, et compendiariam notitiam ab eodem accipiet. Deinde Magistros, et Catechetas singillatim ad se vocabit, rationes cu-

cuiusuis officii, et difficultates comiter excipiet. Praeprimis autem inuestigabit, quonam sit loco Iuuentutis religio, pietas, ac morum conditio? deinde an institutiones omnes regulariter fiant, et nullae praeter indultas feriae concedantur? si quam irrepsisse dissolutionem, vel a recto tramite aberrationem compererit, continuo remediis opportunis corrigere sataget; et quos muneri suo minus respondisse deprehenderit, primum commonefaciet, deinde addet, si necesse fuerit, comminationem; at si neque hanc profuisse animaduerterit, altiori Foro denunciabit. — Dispiciet praeterea, an inter locales Praesides, et Magistros mutua vigeat animorum concordia, atque studiorum, et officiorum conspiratio? Et siquidem compererit, sanctum hocce societatis vinculum alicubi luxatum esse, grauiter admonitis partibus dissidentibus concordiam ocyus instaurabit.

§. 196.

Sed et in illud solerter intentus erit, an Consessus praescripti ordinate habeantur, et negotia omnia in Commentarium integre referantur? an item Examina semestria instituantur suo tempore, et ordine, deturque suus cuique locus

in

in classibus ex merito? Erit autem eadem illa examinum norma porro quoque obseruanda, quae olim, et hactenus obtinere debuit. Deinde, Classes Scholarum omnes obibit ordine, iubebit Alumnos coram se examinari, ac in lingua Hungarica pertentari, acceptaeque institutionis specimen edi: immo ipse quoque periculum capiet; vt scilicet tam industriam docentium, quam discentium solertiam luculentius cognoscat, maxime autem vt peruideat, an proposita Rei Literariae ratio, et agendorum ordo sancte vbique retineatur? Hac autem occasione illud quoque resciscet; an in proxima Classium adtributione semestri nullum intercesserit partium studium, omni ope, et autoritate euellendum. Sed et poenarum adhibitarum modum explorabit; et pro comperta rerum scholasticarum notitia quemadmodum Magistros priuatim, ita Discipulos publice vel collaudabit, vel reprehendet; prout ipsos in disciplinis vel tradendis, vel condiscendis versatos fuisse deprehenderit.

§. 197.

Inspiciet deinde ipsas Scholarum Aedes, Musea, et Bibliothecas, ceteramque literariam

supel-

supellectilem; et si quid etiamnum deesse, aut reparatione egere compererit, in acta visitationis minutatim referet; siqua tamen in aedibus vitia moram non ferunt, illico manum admoueri iubebit, deque sua dispositione Consilium Regium edocebit. Curabit nihilominus, vt Oeconomiae ratio omnibus in rebus habeatur; speciatim autem videbit, an aedes cuidam Ordini Religioso assignatae, sumptuque ex Aerario literario procurandae bono in statu conseruentur, nec vitiorum, siqua iam traxerunt, reparationes non sine dispendio procrastinentur?

§. 198.

Sicubi constituta fuerint Contubernia, in quibus Adolescentes, cuiuscunque Sexus, pia Fundatorum liberalitate, ad virtutem, et literas informantur; horum quoque lustrationem suscipiet, et ad leges hisce domiciliis praescriptas peraget.

§. 199.

Videbit denique, an nullae sint Magistratuum, Militum, aut Ciuium aduersus Iuuentutem studiosam querelae? quibus quidem remedium ex aequo et iusto adferet.

§. 200.

Si quae inciderint controuersiae, aut quaestiones ad Systematis huiusce literarii obseruantiam spectantes, quae difficilem videantur habere enodationem, iudicium Consilii Regii exquiret, atque interea, quod e re visum fuerit, constituet. Quae demum terminata Visitatione quouis in loco salubriter ordinauerit, ea Praefectis scripto consignabit, effectumque omnium maiorem in modum commendabit; et quod postremo dici debet, supremo in rebus politicis Regni Senatui acta suae lustrationis submittet.

CAPVT III.

Instructio Professorum in altioribus Classibus.

§. 201.

Professorum quilibet hora institutioni suae destinata non Literas modo, sed et Mores suorum, totiusque Scholae Disciplinam ad se pertinere nouerit; quare diligenter curabit, vt ad excipiendas institutiones Iuuentus tempestiue conueniat, et absentes Scholae Minister notet; quos quidem Professor ad reddendam absentiae rationem ad se citabit, et ad assiduam frequentationem compellet; repugnantes autem Praesidibus denunciabit. Curabit item, vt in Schola quies, et tranquillitas obseruetur; turbatores pro ratione culpae reprehendet; fraeni impatientes ad Superiores deferet. Sed nec illud admittet, vt absque causa vrgentissima e collegio ante tempus exeant, vel a quoquam euocentur.

§. 202.

§. 202.

Verum ipse quoque ad habendam institutionem tempori comparebit, nec nisi plene euoluta hora explanationem suam terminabit. Quod si hora proxime sequenti alter Professor ad erudiendos, quos simul habent, Discipulos succedere debeat, tantisper praestolabitur, ne Iuuentus sibi relicta per atria concursando vicinis molestiam adferat.

§. 203.

Nullae Feriae, nullae ab habendis praelectionibus cessationes erunt in Professoris arbitrio. Si quem valetudo, aliaque legitima causa ab officio auocaret, impedimentum vndecunque exortum confestim superiori indicabit, neque sua autoritate aut intermittet institutionem, aut aliquem alium sibi surrogabit: in Vniuersitate enim ad munus Decani, in Academiis ad Directorem proxime pertinet quotidie scire, an, et a quo consuetae institutiones habeantur? Quem in casum retinenda erit illa regula, quae hoc ad tempus viguit; et alter eiusdem Facultatis Doctor deligendus, qui Collegae partes in Cathedra sustineat; vel certe, hoc si praestari non posset, alteruter Linguarum

Grae-

Graecae, aut Patriae Professor ex officio in supplementum postulandus.

§. 204.

Finis Academiis nequaquam est ille praestitutus, vt Iuuentus illic ad eruditionis apicem euehatur; cum scopo tam sublimi non solum acas Scholasticorum nondum satis confirmata, verum ipsa etiam temporis, curriculo huic destinai, breuitas, et multiplex Studiorum varietas repugnet: maxima certe illorum pars mediocri dunaxat, plerisque nihilominus reipublicae muniis idoneo, praedita est ingenio. Neque tamen istud am in partem est accipiendum, quasi vero in olo Encyclopaediae cortice adhaerendum, ac non minus semidocti, sibique solis eruditi sint formandi discipuli; sed necesse omnino est, vt praecipua cuiusuis Disciplinae elementa, resectis otiois digressionibus, plene pertractentur; vt nimium Tiro industrius totum illius scientiae, cui emet impendit, campum pernoscat, cunctaque iusdem capita sibimet reddat familiaria; fontes nsuper literarios, et subsidia isthuc conducentia erspiciat; vt cum operam e puluere scholastico d negotia publica traduxerit, ea, quae condidicit,

cit, adhibere, collectamque notionum supellectilem in vsum norit vertere.

§. 205.

Locum inter subsidia praecipuum obtinet *Institutionum Liber*, qui sic debet esse comparatus vt nec redundet, nec deficiat, sed intra praefinitum collegiorum tempus commodum exhauriri possit; vt ordo tam in toto opere vniuerse, quam in singulis partibus sit systematicus. Qualis erit si tam praecipua, quam peculiaria Disciplinae capita in conspectum vnum ponantur, atque si inter se nectantur, vt antecedentia lucem adferant et soliditatem sequentibus. Ceterum delectus Libri non arbitrio Professoris, sed iudicio Consilii Regii est delatus; cuius erit prouidere, vt vel e prostantibus aliquis in manus tradatur, vel nouus alter propositis autori praemiis elaboretur, et literis Regiae Scientiarum Vniuersitati exscribatur. Auditores Libro praelectionum instructi vt acceptas in Scholis institutiones domi recolere, suisque ponderibus examinare possint. Professor vestigia premet Autoris sui, declarabit notiones, et non deproperabit, exemplisque reddet conprehensibiles; ostendet vsum doctrinae

et

et adplicandi modum. Non immiscebit sublimes argutias, non aduocabit peregrinas, et memoriam nullo operae pretiò fatigantes rerum definitiones, diuisiones, aut demonstrationes; multo minus vexabit suos scriptorum farragine: verum si explanationes ab Autore differentes paulo fuerint fusiores, typis eas excudendas curabit.

§. 206.

Professori cuique necessaria est ad quamlibet Lectionem praeparatio; vtcunque enim sit quis exercitatus, meditatione tamen praemissa plura deteget argumenta, et exempla; multa euoluet clarius, et ad vsum magis adcommodabit. Vt autem fructus tanto maior, et certior enascatur ex meditata docentis dissertatione, studebit quisque diligenter hoc etiam explorare; vbinam Auditorum intelligentia cumprimis adhaerescat? atque illud ope adsociationis idearum, rerumque iam perceptarum adplicatione luculentius enodare. — Sed et earum, quae in fori sui literaturam in dies fiunt, accessionum in promptu habebit notitiam; euentus nouissimos, et phaenomena memorabilia in vsum vertet, atque occasionem inde summet institutionem vel contrahendi, vel

pro

pro re nata amplificandi, nouisque accessionibus cumulandi.

§. 207.

Cauendum inter haec, ne quis in campum adfinium Disciplinarum, aut in vanas, nimiumque abstractas ideas euagetur. Satis erit ea rite pertractare, quae ad scientiam quamlibet stricte, proprieque pertinent. Controuersiae, quas vocant Scholasticas, historice duntaxat adtingendae, non autem diffuse litigando erunt disputandae: sufficit momenta vtrinque compendio adducere, atque sententiam in partem alterutram dicere. A sceptica illa vtramque in partem disputandi, rerumque grauissimarum enodationes in medio relinquendi ratione prorsus abstinendum est.

§. 208.

Alte quisque demittat in animum, succrescens rei publicae seminarium non idcirco solum esse concreditum suae fidei, vt eruditos, sed vel maxime vt probos, beneque moratos Ciues educet. Caueat igitur a Sententiis Religioni Christianae, Morumque probitati directe aduersantibus; et religiose adtendat, ne quid sibi inter explican-

dum

lum excidat, quod ad pietatis, vitaeque corrup-
elam ansam praebere possit. Indigna quoque
sset Professore illa vox: Mores, atque disciplinam
uorum Auditorum extra Scholas ad se nihil per-
nere; ad quae omnes rei literariae administri
ymbolam suam pro viribus suis conferre debent.

§. 209.

Vitiosum est principio doctionis omnia nimium
rolixe excenterare, versus finem vero tempore
cludi, et res grauissimas deproperare: Argu-
iento cuiuis iusta, et proportioni respondens
ertractatio est tribuenda. — Non minore vitio
borabit institutio, si Discipuli verba explican-
s Magistri, aut summa explanationis capita ca-
mo excipiant. Ad auertendum hoc malum ne-
esse est, vt Praeceptor eosdem saepius perten-
ndo videat, an omnia rite comprehenderint?
idemque opera cuiuslibet habilitatem, diligen-
am, et progressionem exploret, ac ex eorum,
iae compererit, necessitate institutionem ador-
t: quo facto ipsis etiam Auditoribus occasio
raebebitur, ea, quae non recte intellexerint,
colendi, et ad excellentiam suos inter eluctandi.

§. 210.

§. 210.

Cum autem in comperto sit, animis Adolescentum illa fere tantum insidere altius, quae ipsi operosa meditatione secum ruminauerunt, et veluti excoxerunt; non erit abs re assignare illis interdum exercitia marte proprio, et priuata industria elaboranda, quae versentur in rerum controuersarum definitionibus, in compendiis ex autore concinnandis, in tabellarum adumbrationibus, et huiusmodi lucubrationibus, pro cuiusuis scilicet indole, ac ingenio. Concedendus insuper erit etiam priuatus ad Professores aditus, vt suā quisque dubia depromere, eorundemque enodationem reportare possit.

§. 211.

Quod de Oratoribus, id ipsum de Professoribus dici ex vero potest: moueri eum debere qui Auditorem mouere; ardere, qui accendere volet. Quare magno vnusquisque spiritu, et feruore Lectionem suam administrabit, eiusdemque dignitatem, atque in futurum vtilitatem auribus, et animis suorum crebro inculcabit. Nimium certe quantum elangueret Iuuentus, si obseruaret Disciplinam quampiam, cui operam impen-

pendere cogitur, a Doctore ipso non magni fieri, eundemque rem suam oscitanter, aut plane cum taedio agere, in atrio diutius confabulari, ad horologium identidem respectare, verbo, horae exitum impatienter operiri.

§. 212.

Cum Informationes semestres non a publicis modo, verum a priuatis etiam, ac menstruis examinibus, spectataque industria pendeant, Auditores omnes absque vllo discrimine, crebro in scholis pertentabit, et calculum promeritum notabit, vt genuinum de cuiusuis profectu iudicium ferri possit. Si qui eorum, qui stipendio fruuntur, ex tentamine semestri deciderint in secundam studiorum classem, nullo pacto erunt admittendi ad alterum examen.

§. 213.

Vt demum Studiosi bonarum artium notitiam Autorum praecipuorum ad studia sua pertinentium haurire possint, tempore opportuno deducendi erunt, sicubi commode fieri poterit, ad Bibliothecam Academiae, vel Vniuersitatis.

§. 214.

Quisque Professorum cum praestantioribus aliquot Auditoribus sub exitum vtriusque semestris publicum periculum faciet, propositis Thesibus praecipua disciplinae capita complectentibus, et inuitatis etiam illustrioribus, atque eruditis hospitibus. Quae quidem Tentamina non eo fine instituentur, vt Professores ipsi de productis Assertionibus inter se altercentur; sed res omnis eo potissimum valebit, vt non modo constet de cuiusuis doctrina, docendique ratione, verum etiam absentes parentes intelligant, quibusnam in rebus liberi eorum erudiantur.

CAPVT IV.

Instructio Professoris Doctrinae Christianae in Vniuersitate, et Academiis.

§. 215.

De dignitate, grauitateque huius muneris nihil adtinet dicere; satis constat, istud in Doctrina Religionis Christianae occupari; atque inter omnia Scholarum Studia, et negotia esse sacerrimum, et eminentissimum; virtuteque suae naturae postulare Oratorem, et Praeceptorem vndequaque doctum, et probum, sciteque eloquentem. Quis enim non animaduertat, in hac disciplina comprehendi dogmata, et praecepta, idque agendum esse, vt Cultus Diuinus procuretur, et Academici non solum in mysteriis Fidei plene erudiantur, verum etiam in actionibus et Moribus homine Christiano dignis exerceantur, firmenturque? Quapropter suum esse ducet sacer Orator, ita versare, explanareque Doctrinam Coelestem, vt cor-

dibus Auditorum Dei timor ingeneretur, voluntas a malo auertatur, pietatis amor accendatur, actiones omnes officiis Iustitiae Christianae vsu ipso conformentur, et vniuersa Religionis Scientia ea methodo pertractetur, ex qua Iuuentus non norit modo, sed etiam velit bene, pieque operari.

§. 216.

Cursus huius institutionis est duplex: alter diebus dominicis et festis pro Academicis omnibus annuus; alter diebus Mercurii et Sabbati post alias Collegiorum horas pro Studiosis Philosophiae in vnum collectis biennis. Ibi materia dictionis matutinae desummitur ex Euangelio diei sacrae, pomeridianae e Catechismo; hic autem initium ducetur a Deo, eiusdemque reuelatione, et religione; inde fiet transitus ad praecipua doctrinae capita: Fidem, Spem, Charitatem, Sacramenta, et Officia Iustitiae Christianae, atque ita duabus per hebdomadam horis progrediendo venietur ad terminum. Sicubi tamen visum fuerit duas istas, quae huic operi sunt deuotae, horas partiri quadrifariam, seu quod dies hiberni ita suadeant, seu quod maiore cum fructu futurum

spe-

speretur; licet: modo institutiones aliae suo loco, temporeque consistant. Illud obstare non potest huic ordini, quod altero eius anno, in medio scilicet doctrinae cursu, accedant auditores noui; cum enim hi omnes annis superioribus per multifarias Grammaticae, Humanitatisque Scholas Catechismum iterum iterumque audiuerint; atque etiam edidicerint, opportune venient, quo demum cumque tempore venerint.

§. 217.

Optandum foret, vt sacri Oratores sermonem suum omnem, sed praesertim eum, quem ad Concionem Academiae vniuersam faciunt, non e scriptis legant, verum pro maiore rerum energia, motuque animorum et concitando, et fouendo, e memoria dicant, bene memores: primas Orationis, et secundas, atque etiam tertias in Pronunciatione consistere. At, cum hoc ab omnibus indiscriminatim expectari non possit, vtpote viris forte iam aetate, vel laborum multitudine, aut alia causa impeditis; id, quod a singulis praestari potest, exigitur: vt argumentum dictionis semper et vbique sit eiusmodi, quod est auditorio adcommodum, vitaeque praesenti et futurae

ido-

idoneum. In elocutione non adfectabunt sublime dicendi genus, et inanem verborum apparatum, sed veritatem, et doctrinam proponent, explanabuntque simpliciter. Siquis autem ad haec sacras suas orationes maiore cum industria elaborauerit, et verbis, sententiisque delectis ita perpoliuerit, vt luce publica, et imitatione dignae censeantur; Rei Literariae intererit typum subministrare, et labori extraordinario conueniens praemium decernere.

§. 218.

Partes igitur officii hoc fere summario comprehenduntur: Sacrificium Missae quotidie peragere, vel vbi fieri potest, cum Gymnasii Curione alternare; diebus sacris ad Academiam vniuersam verba facere, eandemque ad recte agendum adhortari; duas praeterea per hebdomadem horas Philosophiae studiosis impendere, eosque in medio, et exitu anni scholastici ad examen reuocare, suum cuique locum in distributione classium adscribere, Iuuentutem triduana rerum sacrarum ascesi ante Pascha excolere, et suis cum Professoribus Epulo Diuino reficere; menstruum Sacramenti Poenitentiae, et Eucharistiae vsum adurgere; numue huic etiam Academicae legi singu-

guli satisfaciant? inuigilare; pietatem, et mores suorum sedulo obseruare; deuios ad viam rectam, frugemque reducere; contumaces suis praepositis denunciare; pro generali de Moribus informatione suam cuiuis notam adtribuere; denique ita omnia agere, vt Iuuentus intelligat, et videat, se in Sacro Academiae Oratore habere magistrum, censorem, et patrem. Talem qui se praestiterit, iure optimo petet, sperabitque maius, et opimius Sacerdotium.

CAPVT V.

Instructio Directorum in Gymnasiis, et Scholis Grammaticis.

§. 219.

Quae superius §. 176 generalius hanc in rem dicta sunt, nunc iam latius explicanda veniunt. — Directoris est decernere: quinam sint ad Scholas admittendi, et ad altiorem studiorum classem promouendi? Qui publicis e scholis accedunt ad Grammaticam, testimonia de suis studiis et moribus legalia proferent; qui vero priuatis ex institutionibus veniunt, percontandi erunt: quaenam studia coluerint, et quatenus? statutoque examini subiiciendi, et omnino cauendum, ne fraudi, vel fauori locus concedatur, verum vnusquisque in ea scholarum classe collocetur, quam meretur. Cursus studiorum in quauis classe est annuus; generalis autem promotio instituitur post ferias maiores. Gradum facere possunt omnes, qui in pri-

prima, et secunda Studiorum Classe censentur; qui in tertia constiterunt, Scholam eandem, nulla generis, et conditionis ratione habita, repetent; ac nisi hic, altero iam anno, progressionis suae specimina dederint, dimittentur.

§. 220.

Ineunte anno scholastico, Magistris operam iungentibus, conficiendus erit Catalogus studiosae Iuuentutis, in quo connotabitur vniuscuiusque nomen, locus natalis, parentes, genus, hospitium, ratio se alendi, et domesticus, si quem habet, informator; qui non alter erit, quam qui sententia Directoris dignum se esse probauit. Leges Scholasticas principio semestris vtriusque solenniter promulgabit, intentusque erit ad normam studiorum, et disciplinam morum; praecipuam vero curam in eo ponet, vt Iuuentus in doctrina sanctiore, operéque pietatis Christianae adolescat; immunitatem a Schola, praesertim diuturnam, nulli nisi iusta, grauique de causa concedet. Necesse erit aliquando Parentes, vel Tutores, aut Hospites edocere de statu adolescentis, sincereque profiteri, quae sunt laude, vel vituperio digna, studio, valetudini,

ni, vel habitationi necessaria: vt hac ratione salutaria consilia ineantur, et alumni scholarum modis omnibus adiuuentur.

§. 221.

In delectu praemiorum, et poenarum aduertendus est animus non solum ad spiritum, et characterem Nationis, sed etiam ad indolem, et conditionem Adolescentis: his enim e capitibus erunt repetenda tam remunerationum, quam reprehensionum genera. — Laus et vituperium, honor et gloria, ratio et honestas, ac disciplina liberalis etiam in Iuuentute vim habet incredibilem. Si quando poenae irrogari debent, sint omnino tales, quae desides, aut petulantes non vlciscantur, sed emendent, ignauos ad diligentiam excitent, male moratos ad frugem reuocent, constantique Literarum vigori, et Morum integritati vel conseruandae, vel restituendae deseruiant. Si tamen aliquando fuerint, qui post verba et poenam non spem modo emendationis nullam ostendunt, sed etiam aliis offendiculum praebent, cum consensu Directoris Prouincialis remouebuntur.

§. 222.

§. 222.

De Studiis omnibus, et progressionibus Iuuentutis constare Directori debet; quapropter quoties e re visum fuerit, instituent Tentamina priuata. Ad ea, quae sunt publica, et semestria, possunt quidem accedere hospites, et exteri; quales sunt parentes, tutores, cognati, vel patroni Adolescentum; immo solertius nonnunquam erit procurandum, vt frequentes adsint, et illustres; at illud nemo expectauerit, vt honoris causa vel ordo tentaminis interuertatur, vel a iustitiae seueritate discedatur, et studiis partium, fauori, gratiaeque quidpiam deferatur. Primum semestre Tentamen absoluetur cum primis mensis aprilis diebus; alterum cum exitu anni scholastici. Quando hoc, et illud sit inchoandum? e numero discipulorum statuetur; quo viso ita erunt ordienda examina, vt ad dictos dies terminari queant. Tentamina ipsa nec commiscebuntur, nec deproperabuntur; sed ordinate, moroseque ducentur. Quae studia sunt affinia, aut cognata, veluti Grammatica Latina, et Autores classici, coniungantur; alia ingenio disparia separentur. Quare, si initium cepit Examen in suprema Grammaticae schola e Doctrina Religionis, idem per

ce-

ceteras continuabitur, factoque circulo redibitur ad eandem quartam; et si ibidem adsumta fuerint Praecepta Linguae Latinae cum Chrestomathia, non ante cessabitur, quam haec etiam vbique finem accipiant: atque ita omnia studiorum argumenta in disquisitionem vocabuntur. Porro examinandi veniunt omnes Scholarum Alumni; percontatores, et iudices sunt Magister, et Director; licebit tamen Hospitibus etiam nonnihil interfari, et explorare progressum; at quaesita oportet sic esse comparata, vt Discipulis non desit occasio depromendi scientiam, Censoribus autem ferendi iudicium. Denique responsa singulorum notabit et Praepositus, et Professor. Peractis tandem examinibus expendentur responsa, reuocabuntur ad rationes priora specimina, in considerationem venient singulorum merita, conferentur calculi, et quo quisque suos inter condiscipulos dignus est loco, designabitur; primo quidem in Doctrina Christiana, tum in Moribus, ac tertio in Literarum Studiis. — Sed quid? si hoc in opere Professorem inter et Directorem oriatur controuersia. Regulariter equidem standum est iudicio Professoris, cui Discipuli per quotidiana experimenta penitius sunt perspecti. At si Director iustis e causis exi-

sti-

stimet esse necessarium, vt nouum ad litem dirimen-
dam instituatur periculum; adeat Scholam, et pro-
ponendas omnibus easdem quaestiones scripto
resolui petat. Responsa eorum, de quibus est
enata controuersia, erunt decretoria. De ratione
Morum sacer quoque Curio, tamquam communis
Censor Iuuentutis, est audiendus. Posteaquam
igitur his e regulis terminata fuerint Examina,
Director classificationis Ordinem ritu solenni pu-
blicabit, et, si commodum, sponte nimirum col-
lato aere fieri potuerit, cum fine anni typis exscri-
bi curabit: tributum enim imperare nefas esse
ducet; semestres de Iuuentute Informationes duo-
bus in exemplis submittet Praesidi; Testimonia
Scholastica sua manu et officii sigillo roborabit:
nullas tamen hoc titulo pecunias exiget, aut ac-
ceptabit.

§. 223.

Director vt Magistros adiuuare, et gubernare,
legumque obseruantiam procurare queat, officia
eorum, velut sua propria, probe cognita habeat,
et totus in eo vigilet, ac elaboret, ne suis vnquam
desint partibus. Eos, qui peculiari sunt industria,
Directori Prouinciali commendabit, desides et ab-
er-

errantes primum amice, deinde seuerius admonebit, et si necesse sit, ad Concilium Magistrorum aduocabit; cauebit autem, ne quid apud alios praesertim discipulos, de eorum existimatione et autoritate detrahatur; firmiterque sibi persuasum habebit; sine hac, et concordi Magistrorum opera rem scholasticam ad statum optatum perduci, et sartam tectamque conseruari non posse. Itaque saepe cum iis conueniet, et considebit exponet, si quae altiore a foro venere mandata, in memoriam reuocabit priora, et an in effectu sint? inquiret. Depromet, quae sunt in disciplina morum, et ratione studiorum commissa, notataque vitia; rogabit sententias: vnde eorum origo, quae adhibenda remedia, et subsidia? Proferent in medium sua sensa Magistri, et studebunt, quo possunt modo, adesse Directori, communemque scholarum vtilitatem promtis animis, vnitisque viribus promouere. Siquid erit grauius, quam vt hic superari possit, ad superiorem studiorum Praesidem adpellabitur; Acta vero similium Conuentuum a iuniore Grammaticae Magistro literis consignabuntur, et per Directorem localem reuisa ad Prouincialem dimittentur.

§. 224.

§. 224.

Inter ea, quibus Director obligatur, munia sunt etiam ista: vt habeat curam Musei, Bibliothecae, supellectilis Scholasticae, et vniuersi aedificii; ne scilicet, quae sunt necessaria, desiderentur, et quae praesto adsunt, vt integra, mundaque conseruentur; illae demum aeris impensae, quae sunt faciendae, fiant cum parsimonia. Aedium ministerio destinantur Custodes, seu Famuli, non e Pube Scholastica, sed ex adulteriore hominum ordine certa mercede per Directorem cum consensu Superioris deligendi, bene morati, et validi; quorum est inseruire Ludo literario, mundare et calefacere conclauia, instrumenta, apparatumque Scholarum in numerato habere, fideliterque custodire; reos ad mandata citare, et coercere, signa dare pro Collegio, et Directori in rebus officii obtemperare. Si quis proinde horum vel muneri desit, vel offensionem suo facto praebeat, arbitrio Directoris exauctoratus dimittetur.

§. 225.

Vigilantiam suam ad eos etiam, quoad licebit, exporriget, qui in loco, vel vicinitate Gymnasii Nobilium Liberos priuatim erudiunt, aderit-

que

que iisdem consilio, vt ipsi quoque suam institutionem conforment normae legitimae, et publicae. Ceterum prouidebit, ne iura vertantur in cuiusquam iniuriam; vteturque sua potestate fortiter, sed cum moderatione, sobriaque temperantia.

CA-

CAPVT VI.

Instructio Professorum in Scholis Humanioribus.

§. 226.

Cum perfectio Magistri cuiusuis absoluta consurgat e moribus, doctrina, erudiendi peritia, et diligentia, hisque veluti cardinibus inniti, et verti debeat; nemo non omnem impendet operam, vt nomen, et dignitatem probi, docti, periti, solertisque Professoris per se tueatur, et a Discipulis vere aestimetur, valeatque ea autoritate, quae Scholis Humanioribus, vbi iam plura videt, maioresque spiritus induit Iuuenis, tanto magis est necessaria, quanto maiore labore comparatur. Aestimabunt autem Discipuli suum Praeceptorem, si de ipso conceperint opinionem probitatis, et eruditionis. Amabunt, si viderint suarum in literis progressionum cupidum, et studiosum; non suspicacem et male credulum, tam comem priuatim et humanum, quam serium et grauem publice; aequabilem et minime sibi dissidentem;

aequum omnibus, nemini familiarem, modera-
tum et parcum in plectendo, non adductum
odio, sed amore, et necessitate compulsum; s
curam praeseferat earum rerum, quae ad illos
pertinent, valetudinem scilicet, famam, et alias
vtilitates; subleuet tenuiores, inuisat aegrotos
protegat destitutos, foueat aduenas, et egenos
Timebunt Magistrum, quem animaduertent seue
rum, vbi res poscit, ac disciplinae tenacem
tractantem cum Parentibus; cum Directore auten
et collegis consentientem, vultu, sermonequ
maturum, non asperum et tetricum, sed con
stantem et grauem. — Haec, et alia, quae sun
Magistrorum circa Discipulos, et intra se ipsos
atque suos erga Praefectos munia, non videntu
hic latius esse deducenda: huc enim pertinent il
la, et quidem quam plurima, quae Professoribu
omnibus sunt communia. — Quae porro metho
dus, et ratio sit tenenda in studiis harum Clas
sium? aut iam dicta sunt suis locis, aut ex aliis
vel suapte intelliguntur. Pauca duntaxat de Elo
quentia, eiusque subsidiis, et exercitiis disertiu
commemoranda, viaeque complanandae super
sunt.

§. 227.

§. 227.

In tractatione *Solutae Eloquentiae* ea, quae proprie ad Aestheticam pertinent, secernenda sunt, et praetermittenda; ne scilicet, quae altioribus Scholis destinata sunt, isthic intempestiue occupentur. Tradenda nihilominus erunt praecepta quibusuis de rebus adposite, et copiose disserendi, orationesque componendi; sed exercitatio tamen eorum vnice versetur in argumentis, quae futuris vitae ciuilis vsibus maxime sint consentanea. Testatur enim experientia, Adolescentes e Scholis Humanitatis egressos, cum ad negotia scripto comprehendenda admouentur, saepe nullum eorum, quae operose didicerunt, vsum facere posse; nouoque studio rebus agendis eosdem aptandos esse; cuius rei causa est nimia eorum dissimilitudo, quae inter consuetas in Scholis exercitationes, et inter quotidiana vitae communis negotia intercedit. — In docenda Arte Poetica, siue *Eloquentia Ligata*, ea, quae Aestheticae sunt propria, perinde altioribus Scholis relinquentur; institutio tamen ipsa deinceps inter ordinarias locum obtinebit propterea, quod vsu compertum sit, Poeticae nullam, vel exiguam in Humanioribus disciplinis habitam fuisse hactenus ra-

rationem; atque ita emolumenta in reliquam Eloquentiam itidem redundantia, immo ipsam etiam recte enunciandi rationem e scholis sensim demigrasse. Quemadmodum omni hoc in instituto cura vniuerse eo refertur, vt Iuuentus patria peculiarem, suisque imposterum vsibus congruentem nanciscatur educationem; ita hic etiam nihil tradetur, nisi quod Regni constitutionibus, Nationis indoli, vitaeque deinceps agendae rationibus adprime respondeat. Hac de causa cauendum omnino, ne in ius, et officium Academiarum inuoletur; in quibus demum prima educandis viris eruditis ponuntur fundamenta. Ciui quippe altioris ordinis sunt illa destinata, vt ope amplioris eruditionis familiae suae, popularibus, suoque statui semet vtilem efficiat. At quamuis hoc loco propositum haud sit, eruditos in Gymnasiis effingendi homines, curandum tamen, vt omnes iis Rhetoricae, et Poeticae subsidiis instruantur quorum capaces sunt, aptioresque reddantur ad pleniorem his in disciplinis institutionem in Scholis altioribus accipiendam.

§. 228.

§. 228.

Ad vtrumque genus Eloquentiae ducunt Autores Classici per exempla selectiora: *Chrestomathiam* diximus; pro qua notandum:

a) In lectione festinandum non est; sed omnis potius adhibenda industria, ne quid stylo formando opportunum negligatur. Signandi sunt, si qui occurrunt, tropi, reddendaque causa, quem in finem sint adhibiti? quam vim, et elegantiam linguae concilient? quoue pacto imitationi seruire possint? commendandum praeterea Auditoribus, vt sententias, loquendique formulas maxime adridentes in aduersaria referant, vsui deinceps futura in Thematibus variis concinnandis.

b) Qui sint praelegendi? non est, cur Praeceptor certis se adstringat legibus; alterum alteri ex eadem Autorum Classe praeferre poterit; praesertim si aduertat aliquem palato suorum praeceteris probari. Eiusmodi autem delectus a desiderio Discipulorum, gustu, et maiori eorundem numero dependet, vt animi lectionis adpetentes reddantur: prudentia tamen Magistri hac in re opus, vt ad ipsum hunc delectum voluntates audientium blande alliciat, operamque det,

vt

vt quae antea praetermissa sunt, suo tempore sibi explanari ardenter petant.

c) Ceterum cuilibet proximae explanationi certus ex Autore locus definiatur, vt illum Adolescentes domi praelibare possint; deinde vero in schola ipsa a quodam elata, et sententiis respondente voce recitetur, tum vt rectae pronunciationi adsuefiant, tum vt numerum oratorium animaduertant; qui dum repetendo sentitur, magis menti insidet, quam si ope regularum doceatur.

d) Disciputi ordine sese excipiant, et a pluribus locus ille in linguam patriam, vel in aliam vernaculam extemplo conuertatur. Hoc exercitii genere hebdomadis aliquot continuato, ipsae subinde Linguae amaenitates, loquendique proprietates notandae erunt, et errores, si qui irrepserunt, corrigendi: quos si plerique nescirent, Magistri erit dictare emendatos.

e) Quoties Autoris lectio resummitur, toties antecedentia, et ita recolent, vt omnes sermonis lepores, et venustates, acuminum item, transitionum, elocutionisque modi prima semihora in memoriam reuocentur.

f) Legendis Autoribus idem, quod Latinitati, tempus est adtributum, et per totum Gymnasii

sii decursum obseruandum. Quod si liber ante tempus legendo absolueretur, illi forent Autores resummendi, qui Iuuenes prae ceteris delectabant. Ad imitationem tamen Scriptores non nisi ex aetate aurea, iique pauci, suo quisque in genere principes proponantur.

§. 229.

In *concinnandis Thematis* breuioribus iam in Grammatica exercebantur Adolescentes, fuitque iisdem Periodologia etiam explanata, a cuius repetitione ducetur isthic styli formandi initium; gradus inde fiet ad praecepta Eloquentiae Romanae; iungentur excerpta quaedam ex Horatio Tursellino de particulis Latinae Orationis; subinde tropi et figurae explicabuntur; tum proponentur Oratiunculae quaedam, Sermonesque breuiores, quales in negotiis publicis crebrius vsu veniunt; Epistolae item, Narrationes, Libelli supplices, Alloquia, ac plura huius generis commodo auditorum aliquando futura scriptionis themata; adferentur denique varia Soluti, et Ligati Styli genera, ostendeturque discrimen intercedens.

§. 230.

§. 230.

Exercitia formandi *Styli* tres in Classes tribuuntur:

a) Quaedam erunt *Extemporalia*, vti traductiones e Lingua Latina in Gentilitiam, et contra, Codicilli, Epistolia, Narrationes, Responsa, et similia saepe occurrentia opuscula, quae teste vsu non admittunt longam commentationem. Haec vbi ad censuram reuocata, correctaque fuerint, domi nitide describentur, et dum publica profectus experimenta instituentur, in testimonium diligentiae exhibebuntur.

b) Exercitiis *Hebdomadariis* materiem praebere possunt primo: argumenta studiorum e tribus Naturae regnis, ex Historia, Geographia, aliisque Disciplinis desumpta, et epistolis, descriptionibus, narrationibusque comprehendenda. Secundo: cerimoniae, salutationes, alloquia, sermonesque in congressibus publicis, electionibus, et comitiis pro re nata occurrentes. Vtrobique locum imprimis habebit sobria, nec vnquam satis commendanda illustrium ex Autore locorum imitatio; cuius ratio in eo maxime consistet, vt expendatur, quid Autor primo loco dicat, quid secundo? quibusue vtatur argumentis, et sententiis?

tiis? vnde ea deducat, et quemadmodum informet, ostendat, illustret? quas animi incitationes, et quonam artificio, quam solerter moueat? quae sit structura verborum, quae partium singularum commissurae? quis gradus, et incrementa rationum? non vt Tirones iisdem vtantur, sed vt propositum thema ad illud quasi exemplar effingant. Dandis, discutiendisque exercitationibus toto biennio impendetur pars aliqua sabbati; quae subinde venustius descriptae in publicum producentur, dum Prouincialis studiorum Director Scholas recognoscit, aut semestria de more instituuntur tentamenta. Scribendi argumentum inter alia praebere possunt res quoque studiorum, et illae, quae iam in superioribus fuerunt recensitae.

c) Exercitia *Menstrua* ceteris prolixiora in excerpendis Autorum locis, et peculiaribus quibusdam elocutionibus consistunt, ac nonnunquam liberae Discipulorum voluntati, vt nimirum suum sequi ingenium possint, relinquentur.

d) Erunt, qui grauiorem quamdam Orationem, aut Poema moliantur, et audeant in Panegyricis, vel Eucharisticis, Genethliacis, Epithalamiis, aut Funeralibus periculum facere, suasque vires exerere. Haec sunt *Extraordinaria*

eo-

eorum exercitia, qui ceteros inter excellunt, et vltra commune studium procurrere gestiunt. Hisce adiuuandis Magistri promptos se, et alacres offerent; compositionem styli destinato tempore reuidebunt, et corrigent; raro tamen totum Exercitium dictabunt, sed vnicuique suorum necessitatem imponent opus suum emendandi, et castigandi; quod deinde nitido charactere in Libellum referent.

§. 231.

Exercitatio Declamatoria, quae vocem et vultum, totiusque corporis motum ac habitum eloquentem facit, dici vix potest, quantum adferat momentum ad Iuuentutis cumprimis nobilioris educationem. Paucis enim a natura datum est, vt proprio marte publicis in conuentibus dicere ad concionem audeant; plerisque ingens adhibenda est opera, vt metum ab indole insitum, et vitio educationis quodam modo ingeneratum reprimant: qui etiam promptissimos quosque adultos non raro conturbat. Quam ampla vero in publicis Tribunalibus, Comitatuum Consessibus, aut ipsis etiam Regni Comitiis semet offerat occasio, sensa animi prompte expediteque profe-

ren-

rendi, quis est, qui nesciat? Exercitationis huius occasio erit multiplex, siue dum clara voce legitur Autor, aut singulares orationis periodi voce et gestu rei conueniente de memoria depromuntur; siue cum Iuuenes lucubrationes suas Latinas, aut Hungaricas, in quibus peculiaris industria et styli nitor elucet, in praemium diligentiae publice recitare volent; siue dum ante, vel post solennia tentamina Conuenas adloquentur; siue dum Hospites illustriores ad domicilium Musarum inuisentes salutabunt; siue dum Candidati ad Classem altiorem festa in pompa promouentur; siue dum in aliis temporum, locorumque adiunctis perorandum est: non erit sine fructu, si annus Scholaris Oratione soluta, ligataque concludatur.

CA-

CAPVT VII.

Instructio Magistrorum in Scholis Grammaticis.

§. 232.

Cum officium Magistrorum in genere sit: Adolescentes, qui se in disciplinam Scholarum publicarum tradiderunt, sic erudire, vt vna cum Literis etiam Mores Christiano homine dignos condiscant, et exhibeant; hunc in finem omnia Studiorum argumenta suis classibus praescripta diligenter tractabunt. Proprius institutioni Morum locus est in explanatione Doctrinae Religionis; aliae Scholarum occupationes versantur in Literis, et Scientiis, Artibusque liberalibus. Sed et hic multa sunt Ethicae semina, quae bonus, et perspicax Magister facile obseruabit, et fructuosa reddet. — Qua ratione sit explicanda Doctrina Christiana, docenda Grammatica, interpretandi Autores, instituendae Exercitationes, enarrandae Historiae, persequenda Geographia, et cetera

ra Scholarum Grammaticarum Studia pertractanda? nosse debent Magistri; plurimum enim est in recta *Methodo* repositum; quam vniuerse ordinatam esse debere, claram, breuem, et facilem nemo non agnoscit; at haec ipsa tam varia est specie, quam artes, et scientiae. Illa demum dicetur optima, quae et indoli bonarum Artium, et aetati, turbaeque Discipulorum est maxime consentanea.

§. 233.

Magistri omnes, nullo sui status discrimine, tam dominicis, quam profestis diebus, *sunt Catechetae* suarum Scholarum; nam quod Christiani vniuersi scire, et Discipuli discere debent, hoc ipsum plene docere Magistrorum est, erraretque vehementer, si quis hanc principalem institutionis publicae partem ad se, quod Sacerdos non sit, neutiquam pertinere existimaret. Ordinem rerum sequentur illum, quem Catechismus proprius ostendit; adsumentque suis temporibus Euangelia, et Epistolas Sacrorum dierum, exemplaque Biblica. Curriculum institutionis vltra annum non extendetur, sed spatio huius temporis Catechismus totus conuenienter aetati, et intel-

le-

lectui Adolescentum sensim, ac magis magisque semet euoluenti absoluetur, ita, vt per iteratam, et frequentem veritatum diuinarum expositionem meminerint, et ignorare non possint illa, quae ad mores, et vitam, salutemque sunt necessaria, aut perquam vtilia; quorumue cognitio nec in tempus differri, nec, vt ab auditoribus vagae mentis, et varie distractis ex vna alteraue propositione comparetur, sperari potest. Ad sermonem quod spectat: hunc oportet esse Vernaculum, et videre: an nempe, vbi duo diuersa sunt idiomata natiua, ibi Adolescentes eiusdem linguae sub vno, alii sub altero Magistro sint congregandi? vel classes singulae suis Moderatoribus relinquendae, et duplici lingua erudiendae? Director, quid in loco expediat? diiudicabit, et quod optimum esse visum fuerit, constituet. — Rectam institutionis Catecheticae rationem praeclarissimi Magistri nunc in disserendo, percontando, et disputando collocant. Scilicet, postquam excitati, beneque praeparati sunt ad audiendum animi, succincte, absque multo verborum circumductu, et clare enunciant, quod est praesentis institutionis propositum. Singularem quampiam veritatem, siue doctrinam religiosam, vel moralem in medio statuunt,

tuunt, quam deinde dilatant per paraphrasim, non inanem illam, sed rerum fertilem: multum enim est virtutis non tantum in continuando, sed etiam in auspicando sermone. In confirmationem, illustrationemque propositae veritatis adducunt argumenta e Libris Sacris, depromunt exempla, et sicubi locus adest opportunus, etiam Naturam, et Historiam rerum in auxilium aduocant. Interea, vt maiore cum efficacitate procedat oratio, hic et illic se ipsos, aliosque interrogant; tum ostendunt rem in sua, alienaque specie, illustrant similitudine, probant analogia, docent comparatione, vrgent antithesi, pingunt iconismo, et ad actiones, moresque deferunt. Interpellant iterum auditores, et quae docuere, reddi sibi postulant: quaerunt, et instant, ac rursum notis a rebus ad ignotas transeunt, formantque nouas ideas, et modo dicta connectunt cum antecedentibus, immiscent dialogismos, nec ante sibi satisfaciunt, quam videant doctrinam totam ab auditorio comprehensam, et animis alte impressam esse. Aut haec, aut nulla alia est methodus illa, quam Socrates in docendo tenuit.

§. 234.

§. 234.

Grammatica complecti debet rationem intelligendi Linguam, recteque loquendi, et emendate scribendi. Methodum ad ista ostendunt Grammatici verborum Philosophi. In expositione praeceptorum neque nimis multos, neque valde parcos oportet esse Magistros: hic enim nec morae sunt nectendae, nec nodi, subtilitatesque quaerendae: loquantur distincte, dilucide, adcommode, et quamdiu necesse erit, vulgariter; rem eandem aliis atque aliis verbis eferant, iterando recolant, in paradigmatis ostendant, et an vnusquisque comprehenderit? explorent; curent denique, vt castigate, et polite loquendi conatus Tironibus Latinitatis tempestiue ingeneretur.

§. 235.

In *interpretatione Autorum* Classicorum haec erit norma. Primum legetur Autor clare, et distincte ad leges rectae pronunciationis; legetur autem vsque ad sensum plenum, quem signa orthographiae definire solent; exponetur argumentum, accedet paraphrasis vernacula, quam vt perfectam dare possit Magister, praeter vsum earum Linguarum, quae in loco Scholarum obtinent,

ha-

habeat cognitionem Historiae, Geographiae, Mythologiae, Adagiorum, Rituum Graecorum, et Romanorum, Ethicae, Philosophiae, aliarumque Scientiarum: deinde expendentur singulae periodi partes, declarabitur significatio, vis, origo, etymologia, et vsus omnium vocabulorum; enumerabuntur aliqua eorum composita, et deriuata, reuocabuntur ad eas Grammaticae leges, quae sunt adhuc explicatae, indicabitur genus, structura, latinitas, seu idiotismus, elegantia, nitor, et loquendi ratio, si qua occurrit delicatior; ostendetur, quantum differat a Vernacula? et quibus verborum formis, latinis, et vernaculis, possit idem sensus concipi, et enunciari? Designabuntur aliquando, tum nempe, cum iam idonei sunt Auditores ad intelligendum, periodi, narrationes, et orationes, earumque argumenta, nexus, transitiones verbales, et reales, similitudines, argutiae, allusiones, et cogitata, factaque alia. Haec cum ordinate peragentur, non solum Lingua condiscetur, sed etiam ingens rerum, et scientiarum copia colligetur, ac, quod est animaduersione dignissimum, pulcherrima Morum doctrina, et regula comparabitur. Quare plena, perfectaque Autoris interpretatio debebit esse primo ver-

nacula, et paraphrastica; secundo etymologica, et vndequaque Grammatica, Latinitatique addicta; tertio erudita, docta, et polymathia instructa; quarto moralis, seu informandis actionibus adcommodata. Vt autem discipuli tam in praeceptis, quae declarantur, quam in exemplis, et Autoribus, qui explanantur, assiduo exerceantur, vtile erit instituere crebra tam intra, quam extra explicationem examina; tum facere iteratas rerum, quae iam propositae fuerant, repetitiones; ac demum excitare ordinatas Iuuenum inter se concertationes, et aemulationes.

§. 236.

Scriptoriae Grammaticorum *Exercitationes* versantur in Analysi, et Synthesi, seu in Resolutione, et Compositione Thematum; quorum argumentum ita sit comparatum, vt vel ad mores formandos, vel ad eruditionem appositum quid contineat. Resolutio exercetur in interpretatione, et conuersione Autorum, quod duobus modis absoluitur; primo: Periodus aliqua singularis nondum explanata, sed tamen quae ex dictis intelligi potest, traducitur in Linguam Patriam; tum post aliquot dierum interuallum, seposito libro, restitui-

tuitur in Latinam, et an, quibusue partibus discrepet? contenditur, ac examinatur. Compositio, seu Synthesis fit, dum Thema Vernaculum a Magistro dictatum in Latinum conuertitur; quod etiam duplici ratione fieri potest: vel enim dantur Adolescentibus Latina ad Vernaculum vocabula, vt ex iis congruam struant orationem; vel debent ex illis eruere, et adcommodare, quae partim e primitiuis, aliisue vocibus didicerunt, partim ex interpretatione Autorum praelegi audierunt. In quarta Grammaticae Classe non tantum melioribus loquendi formis poterunt ornare Thema, quod erat adsignatum; sed etiam marte proprio producere Dialogum, Epistolam, similiaque opuscula. Forma porro Thematis in eo consistit: vt argumentum ad regulas Grammaticae; tum et quoad fieri poterit, ad imitationem certi cuiusdam Autoris sit exactum; perspicuum item, facile, et breue.

§. 237.

Cum omnis disciplina *Memoria* constet, et verissimum sit illud: tantum nos scire, quantum memoria tenemus; naturalis ista mentis facultas

primis ab annis est colenda. Cum nondum erant inuentae Literae, subsidium memoriae dedere Versiculi; quales nunc quoque multis in rebus adiumento sunt. Ceterum ad exercitium Memoriae faciunt ista:

a) Quod memoriae committi debet, perspicue prius intelligatur; secus enim frustra fatigatur, torqueturque caput.

b) Res potius sunt ediscendae, quam verba: nam primum illud et facile est, et quia perennitatem habet, vtilius: hoc autem alterum taediosum, et cum verba deleri, auolareque soleant, saepe sine fructu.

c) Generatim seu sint Res, seu etiam Verba, loco et tempore opportuno discantur, saepeque in mente reuoluantur, et per imagines in phantasia repraesentenur.

d) Parum est potius discendum, quam multum, antequam vsu ipso crescat, et roboretur memoria: nimium enim ingerendo parum retinetur, et plerumque magna idearum confusio generatur.

§. 238.

Historia Hungariae recenset humanas, sed selectas actiones, in quibus occurrunt Res, et Personae. In Rebus considerantur loca, et tempora, casus sapientiae, et temeritatis, caussa et modus, artes et insidiae, ratio et instrumentum. In Personis occurrunt actus et conditio, indoles et scientia, mores et characteres, aliaque adiuncta. Praecipua Historiae capita sunt Reges, qui totidem quasi epochas constituunt, vnde aliae partes suam originem, vitam, splendoremque accipiunt. Quare adtendi debet ad parentes, maiores, coniuges, et liberos, comitia, eges, bella, et foedera, illustres sub Rege viros, iuiumque mores, scientias, et artes, statum Reigionis, et Regni vniuersi: videndum tamen, ne quid nimis. Illud per se intelligitur, vitandas esse concertationes Historicorum, resecanda dubia, et inutilia. Cum autem id omne, quod fit, aliquo tempore, et loco fiat, Historia Chronologiam, et Geographiam, velut duos oculos desiderat, vt non modo rem gestam, sed etiam quo loco, quoue tempore gesta sit, scire, videreque possint etiam pueri. Idcirco geminae hae Scientiae non erunt praetermittendae, sed posteaquam id, quod

nar-

narratur, suum ad tempus relatum fuerit, in Tabulis Geographicis, quas in Schola semper ad manum esse oportet, tanquam hic et nunc ageretur, oculis exhibendum. Hoc vnum est monendum, ne multi et anxii sint Magistri in Chronologia; sed plus operae collocent in institutione Morum. Ostendantur ergo virtutes, et vitia, certaque vitae documenta in exemplo proponantur, vt Iuuentus, quae sibi vitanda, quae expetenda, nullo suo labore, vel periculo doceatur. Quam in rem plus momenti habebit obseruatio vitiorum, quam virtutum; tum quia vitiorum maior est copia, tum quia virtutis specie pauciores capiuntur; vtinam non aliqui auerterentur. Dum enim aliena vitia non inuiti intuentur, sua quoque in illis, velint nolint, recognoscunt, et tacitam morum suorum censuram non ferunt.

§. 239.

Duobus modis docetur in Scholis *Geographia*; primo cum Historia, et Autoribus Classicis; deinde separatim et sola: si tamen sola esse potest. Praeparatio fit per aliquam Sphaerae armillaris, Globique, si ita licet dicere, Terraquei artificialis ideam, et Tabularum Geographicarum notitiam:

tiam: discant, et intelligant auditores nomina Cosmographiae Technica. Compertum est saepe felici experimento, pueros primis scientiae istius elementis hoc pacto inescari, et suapte, auideque festinare ad difficiliora. Producatur itaque totus Terrarum Orbis in conspectum in Globo, vel Planisphaerio contractus, sed diuisus in continentem, et maria, partesque principales Europam, Asiam, Africam, et Americam. Ostendantur in Europa Regna, et Imperia: videbunt, quid Hungari, Germani, Russi, Turcaeque teneant? Vbi Itali, Hispani, Angli, Galli, ceterique Populi, quorum nomina iam audierunt, incolant? desiderabunt nosse Hungariam. Hic igitur duce Magistro prima peregrinatio est instituenda, et quidquid ad Geographiam pertinet, perlustrandum. — Praeceptores vsu edocti non vnam ostendunt methodum, per quam Studium Geographicum mirifice alleuatur, iucundeque tractatur. Prima est, Tabulas Geographicas suspendere, loca memorabilia signare, et vt animo firmius inhaereant, in oculis habere, conseruareque. Iuuerit secundo Chartas exponere, in quibus Magister nihil aliud, quam nomina, cursusque fluuiorum designauit, et iis in locis, quae Vrbes, et Oppida occupant,

cir-

circellos pinxit; quod reliquum est, Discipuli suppleant, et nomina locorum adscribant. — Paulo difficilius erit tertium, si nempe Magister Chartas paene vacuas offerat, sola flumina exprimat, et alias Geographiae partes Adolescentibus, vt memoria, phantasiaque eorum tanto magis exerceatur, proferendas relinquat. Quarta ratio est, libera manu delineare situm Prouinciae, designare limites, et formare figuram, deducere fluuios, erigere montes, constituere vrbes, totamque Tabulam coloribus distinguere. Hoc modo discent non solum Geographiam, sed etiam Mapparum constructionem. — Posteaquam Geographiam Prouinciae cuiusdam comprehenderint, non erit inutile, vniuersam eius notitiam ad certa capita reuocare, et in breui Tabella compendio repraesentare. Capita vero sunt ista: Nomen, et eius origo, insigniaque Prouinciae, situs Geographicus, et terminus, magnitudo, et diuisio, lacus, fluuii, insulae, montes, soli natura, dotes, defectus, productaque beneficia, clima, et aëris temperies, vrbes, et loca praecipua, incolae, eorumque numerus, potentia, ingenium, mores, characteres, lingua, religio, scientiae, artes, militia, commercia, forma regiminis, conuersiones

me-

memorabiles, monetae. His, et similibus cogitationibus exercetur, confirmaturque memoria, et vis imaginandi, ostenditurque: Geographiam hoc modo tractatam esse scientiarum Encyclopaediam.

§. 240.

Potiora *Magistrorum officia* sunt *erga Discipulos:* hos instituant, et ament, verbo, et exemplo regant, disciplinamque scholarem firma manu teneant; quod spe honoris et praemii, metuque dedecoris magis, quam poenis facient, obtinebuntque. Adesse in tempore, inire suorum numerum, vetare euagationes, non admittere schedarum, munerumque missitationes, imperare silentium, et modestiam, ipsorum est muneris. Si quem triduo continuo, vel per vices crebro sine causa abesse viderint, Directori significabunt, et immunitatem a Schola nemini dabunt. In puniendo non erunt praecipites, aut faciles; absit a dicto, factoque iniuria, et acerbitas; contemnatur nemo, aut alio, quam suo nomine compelletur; beneuole omnes, et ita habeantur, vt studium vtilitatis appareat: comitati sit mixta grauitas. Non erit abs re, pensum literarium augere in mulctam; inusita-

tatas et maiores poenas, praesertim propter delicta, quae sunt extra scholam commissa, ad Directorem remittant; pauperum studiis aeque, ac diuitum commodis prospiciant, et profectum vniuscuiusque pari conatu procurent. Si quando erit necesse parentes, vel hospites discipulorum de moribus edoceant, et quia Paedagogi, seu domestici Moderatores sunt ex officio Magistrorum adiutores, nulli parcant operae, vt eosdem noscant, sibique concilient, et in arte docendi erudiant. Ea de causa saepius illos aduocabunt, labori ac sedulitati fauebunt, et quid sit pueris vtile? in commune quaerent; qui parere noluerint, Directori denunciabunt, ipsis autem minime obtrectabunt.

§. 241.

Sub initium anni *conficient Indicem* suorum *Discipulorum*, in quo constanter adnotabunt, qualem quisque singulis mensibus faciat profectum, et locum suos inter obtineat? Est autem profectus vniuscuiusque vel singularis et insignis, vel bonus, vel mediocris, vel malus: vnde certae Classes sunt conficiendae, et in aliquam earum vnusquisque pro merito referendus. Qui progres-

gressum fecere valde bonum et insignem, nota praestantiae, vel eminentiae discernentur; boni collocabuntur in prima Classe, mediocres adnumerabuntur secundae, in tertia consistent mali. Atque ista *Classium discretio*, et ordinatio nec a numero Discipulorum, nec a mutua eorum comparatione, nec ab vno, alteroue examine, vel externa quadam Adolescentis conditione repetetur. Videndum, et identidem explorandum, an plene edidicerit, et praestiterit ea omnia, quae nosse, facereque debet? vel vbi? quid, et quantum deficiat? quod omnino elucebit, si Magistri sint semper intenti ad exercitationes, et actiones suorum Discipulorum, eosque saepe periclitentur, et considerent, qualem habeant ingenii perspicaciam, mentis, et eloquii promptitudinem, memoriae fidelitatem, imaginandi viuacitatem, animi praesentiam, in scribendo dexteritatem, et in aliis studiorum partibus, ac officiis industriam, sedulitatem, laborisque patientiam? Ex eadem fere regula designabitur Ratio Morum.

§. 242.

In iis, quae ad studia, disciplinamque Scholarum pertinent, obtemperabunt Directori, quo

in-

inconsulto neminem dimittent, aut in numerum discipulorum recipient. Inter se vero fouebunt mutuam animorum consensionem, sinceramque concordiam; si qua tamen inciderit controuersia, primus in causa iudex Director est futurus; cuius prudentiae erit, liti modum ponere, partesque dissidentes conciliare. Quod cum ille facere non poterit, forum altius apud Prouincialem studiorum Directorem erit petendum, et summopere cauendum, ne res fiat cum strepitu, vel ad conscientiam discipulorum perueniat. — Denique, quae sub hoc Capite dicta sunt ad instructionem Grammaticorum, intelligenda sunt etiam, et pro ratione muneris ad Magistros aliarum Scholarum referenda.

CA-

CAPVT VIII.

Instructio Professoris Doctrinae Christianae, et Censoris Morum in Gymnasiis.

§. 243.

Huius officium generatim consistit in propaganda Religionis scientia, et curanda Morum honestate, probitateque: *Catechetae*, et *Exhortatoris* nomine distinguitur ab aliis Iuuentutis Moderatoribus, et Disciplinarum Professoribus. Familiae Religiosae suis in Gymnasiis officium istius etiam muneris assignant vni alicui de suis Sacerdoti; ad alia vero Gymnastarum Concilia certo cum stipendio vocantur Viri, quales ipsa muneris sanctitas eflagitat. Partes vniuscuiusque erunt istae. Die quauis festa non impedita, praesente Iuuentute scholastica, operabitur Rei diuinae; tum ad Alumnos Classium Humaniorum suum in odeum seductos perorabit sermone latio; qui primo complectetur breuem Epistolae, et Euangelii enuclea-

cleationem, deinde certam Christiani dogmatis partem explanabit, denique conueniente Morum instructione finietur. Post meridiem dabit institutiones proprie Catecheticas, et sic omnia temperabit, vt auditores non tam vi externa, aut metu reprehensionis, quam Magistri, et Oratoris sui spiritu, facundiaque in praestanda audientia contineantur. Vt autem spatio biennii tota Fidei, Morumque doctrina pertractetur, non parum conferet, in principio curriculi gymnastici conscribere, et cum Scholarcha communicare eum argumentorum ordinem, quem suis in dictionibus sequi constituit; et si res ita poscat, aduenienti Directori Prouinciali exhibere. Quid? si singulari cura adornentur, elimenturque, vt typis mandari, autorique iustum laboris praemium decerni debeat? — Profuerit etiam Rituum sacrorum causas, et dignitatem; celebriorum item Festorum nomina, ortus, mysteriaque illustrare; denique sacram Liturgiam explanare: est enim institutione hominis Christiani dignum, venerabiles sanctissimae Religionis Cerimonias nosse, et in loco proferre posse; cauendum autem, ne in earum explicatione res depromantur exoticae, et incertae historiae.

§. 244.

§. 244.

Cum ipse sit in Gymnasio vniuersorum Censor, ad ea, quae pro Pietatis exercitio, Morumque disciplina sunt constituta, solicite sit intentus, et tamquam in specula positus omnimodis vigilet, vt Iuuentus in aede sacra, publicisque religionibus, ac comprecationibus, in aditu scholarum, domi, forisque congruentem morum maturitatem, honestatemque praeseferat; et nullus, qui se Catholicum profitetur, menstruam reatuum exomologesim, diuinaeque mensae communionem praetermittat: cuius quidem rei testimonia a Ministris Poenitentiae colliget, inque vnum indicem diligenter referet. Demum vigilantiam suam extendet ad eorum quoque hospitia, qui sunt peregrini, et absentes habent parentes; videbit priuatam, et domesticam viuendi rationem, quis in illa sit ordo, et regula? inuiset ad aegros, et qua poterit, ope fouebit.

§. 245.

In Conuentibus Literariis primo post seniorem Humaniorum Professorem loco eapropter considebit, vt, siqua in iis mandata pro regula Morum fuerint promulgata, eorum efficaciam vrgeat,

et

et quae eatenus contra leges commissa notauerat, in consessu remedii causa proponat. Reliquum est, vt de suo, quem in corrigendis, impediendisque vitiis adhibuit, conatu Directorem saepenumero edoceat, eiusdemque consilia exquirat; et pro tuenda Morum integritate seueritatem cum charitate coniungat. Si quis haec omnia probe praestiterit, nae ille viam sibi sternet ad maiora munia, obstringetque Praesides, vt viro de Re Scholarum sacra, et morali egregie merito ad ampliora, honoratioraque ministeria opitulari pergant.

CA-

CAPVT IX.

Instructio Inspectorum Scholarum Vernacularum.

§. 246.

Muneris huius institutio eo tendit, vt Scholae vernaculae, qua licet, promoueantur, et vbi sunt erectae, optato cum fructu administrentur. Quam in rem cum multa suis in locis iam sint dicta, satis erit officium ad paucos articulos reuocare.

a) Quemadmodum Inspector ipse in omnibus muneris sui partibus a Prouinciali studiorum Directore, ita ab ipso pendebunt omnes vernacularum scholarum Directores, Rectores, et Praeceptores eadem in Prouincia literaria constituti. Toto igitur pectore in id incumbet, et aget, vt Praesides inter, et Institutores ea vigeat animorum, studiorumque harmonia, quae ad educandam sexus vtriusque Iuuentutem praesto esse debet, nemoque sit omnino, qui non officio boni viri, et moderatoris industrii defungatur.

b) Cum autem hanc in rem bonus Magistrorum delectus maximi sit momenti, cura ipsius erit antiquissima, vt Magisteriorum candidati in recta docendi norma, et rebus aetati teneriori instillandis, Patriaeque Linguae cognitione ea, qua par est, diligentia erudiantur. Deinde vt optata Pubis scholasticae institutio obtineatur, Praesides illius iterum, et saepe commonebit, vt non consuetis modo periclitationibus intersint, sed ipsi quoque crebrius pertentent Adolescentes, naeuosque obseruatos corrigant.

c) Sed et illud curae habebit, vt sua Magistris stipendia, aliaque beneficia, quae debentur ex stipulatione, suo tempore persoluantur; ne fortasse cum egestate colluctantes a praestando officio auocentur. Prouidebit insuper, vt Praeceptoribus conueniens autoritas concilietur; vt ludorum aedes locis opportunis sitae, et necessaria supellectili sint instructae; vt hi, qui munus isthoc singulari cum commendatione obeunt, non modo suis locis collaudentur, sed etiam ad opulentiora, commodioraque subsellia transferantur.

d) Haec, et alia, quae ipsius sunt muneris, vt propius cognoscere, et quemadmodum se habeant res vniuersae, plene possit videre, praeci-

puas

puas suae Prouinciae Scholas quolibet biennio perlustrabit, et genuinum earum habitum, obseruata visitationis serie, Directori Prouinciali particulariter exponet. Cum autem nunquam magis, quam in periodica id modi lustratione cognosci possit: vbi, et qua porro ratione Scholae forent constituendae? non desistet incitare, vrgereque Communitatem, et Dominatum, vt pro necessitate rudis aetatulae regulare paedagogium exstruatur, et Magistro certum stipendium addicatur.

e) Decreta Regia, et Fori altioris Mandata omnia iis omnibus, ad quos adtinent, absque mora communicabit, et vt effectum vbique sortiantur, adurgere non cessabit.

f) Semestres de praecipuis Vrbium Ludis relationes, et particulares de Schola Graphidis, Musicae, et Magisterii Candidatorum informationes, bis quot annis ad regulam tabellae praescriptae confectas Prouinciali Directori consignabit; euoluto autem semestri secundo vt etiam de Scholis Pagorum, et Oppidorum ordinatae veniant Notiones, a localibus earum Praefectis exiget, et supremo Directori submittet. Bis item ad illum quouis anno referet de Scholis Puellaribus, operamque impendet, vt in praeparatione Magistra-

rum methodus obseruetur, et labores muliebri sexui proprii doceantur.

g) Si consuetae informationes tempori non aduenirent, Praefectos commonefaciet; sin autem in submissis defectus quidam se se proderent, occurret illico remediis efficacibus; et si tandem difficultas oriretur, quae hoc loco complanari nequit, ad Directoris Prouincialis autoritatem adpellabit, sed factas interea dispositiones in relatione commemorabit.

h) Specialiter intentus erit, vt solitae relationes exacto quouis semestri de Adolescentibus beneficio stipendii fruentibus a Scholarum Praesidibus Consilio Regio submittantur; id, quod ipse quoque de Puellis in vsu cuiuspiam Fundationis constitutis praestabit.

i) Rationes de annuis Remunerationibus inter Candidatos magisterio adparandos distributis; de Libris item in vsum praestantiorum, aut egenorum Adolescentum ex Vniuersitatis Typographeo quotannis suppeditandis; et de quibusuis aliis Scholarum, aut pauperum Iuuenum subsidiis dari sibi postulabit ab eorum Praepositis, et requisitis munitas documentis mense Septembri

ope

spe Directoris Prouincialis Consilio Regio praesentabit.

k) Vt autem negotia Scholarum Vernacularum omnia constent Directori superiori, Acta, seu Protocola cuiuslibet hebdomadae eidem consignabit.

l) Demum officii bene administrandi rationes hoc etiam exposcunt, vt rite confectum, et ordinata annorum, numerorumque serie digestum prae manibus habeat Tabularium actorum omnium, et scriptorum eo pertinentium.

CA-

CAPVT X.

Instructio Directorum Scholarum Vernacularum Primariarum.

§. 247.

Directores huius generis

a) Agent, vt vniuersa Studiorum argumenta suo ordine, et modo pertractentur, ac si qui inter Magistros in docendo remissiores visi fuerint, officii admoneantur; vt disciplina scholastica consentientibus animis, et vna quasi, constantique voluntate, ac labore sustineatur.

b) Classes omnes saepe recognoscent, et quis in litteris, ac bonis artibus fiat progressus? per ordinaria, 'stataque examina explorabunt; quibus sint adolescentes moribus, qui, et qua ratione corrigendi, aut conseruandi? studiose notabunt, et remedia adhibebunt.

c) Semestres Informationes de Paedagogorum doctrina, et moribus; de Candidatis Magisteriorum;

rum; et omni Iuuentute scholastica e praescripta Tabellarum hunc in scopum concinnatarum norma exhibebunt Inspectori; adiungent exempla delineationum, quae Discipuli elaborarunt; illas autem relationes, quae seorsim, certaque lege confici debent de Adolescentibus stipendio publico donatis: quae nempe sint eorum studia, quae morum ratio, et alia, quae in elencho distinctim sunt exprimenda, recta ad Consilium Regium, quamprimum tentamina publica finem acceperint, transmittent.

d) Sigillum Scholae adseruabunt, et ne quis eius vsus fiat extra officii limites, prouidebunt.

e) Indicem supellectilis scholasticae accurate consignatum prae manibus habebunt; Rationes vero de quibusuis pecuniis in emolumentum Scholarum destinatis subfultas legitimis documentis, cum fine mensis Octobris cuiusuis anni Inspectori praesentabunt.

f) Consessibus ab eodem Inspectore indicendis intererunt; quo impedito, vel absente conuentum ipsi facient, mandata ad se delata promulgabunt, et ad executionem dirigent, atque ita suis omnia tabulis inserent.

g) Si adfuerit Orphanotrophium, vel Magistrarum Puellis erudiendis destinandarum Collegium, haec etiam crebrius obibunt, tenendaque illic examina dirigent, et vtrum omnia e norma procedant? inuestigabunt.

h) Denique quod vnam e primis huius officii partibus facit, hoc est: vt Paedagogos succrescentes curae suae concreditos in omni studiorum genere enixe, et quam diligentissime erudiant, talesque forment Praeceptores, qui Iuuentutis educationi seu publicae, seu priuatae tuto deinceps admoueri possint. Nulli parcant operae, vt exerceantur, et percolantur iis artibus ac scientiis, quae ad propositum eorum praeprimis faciunt. Subsidio pecuniario hunc in finem deputato non alios iuuabunt, quam quos vere egenos esse, bene moratos, et optimam de se spem pollicentes animaduerterint.

CAPVT XI.

Instructio Rectorum ceterarum Scholarum Vernacularum.

§. 248.

Horum est sedulo curare,

a) Vt institutiones cum anni exordio inchotae vsque ad exitum eiusdem sine intermissione ontinuentur, et praescripta docendi ratio ad exmplum librorum vsui destinatorum exigatur.

b) Quem in finem Ludum literarium curae suae ommissum ex improuiso saepius accedent, mentruis, et semestribus examinibus intererunt, ac psi quoque cuiusuis Classis alumnos pertentaunt.

c) Finito semestri Puerorum tentamine relaionem dabunt Inspectori Normae tabellari conormatam.

d) Nihil intermittent, vt inter Paedagogos vigeat animorum, voluntatumque concordia, et muua in agendi consuetudine consensio.

e)

e) Ordines acceptos, et mandata quaeuis submissa cum iis, ad quos spectant, communicabunt, et effectum procurabunt. Informationes etiam stato tempore conficient de Paedagogis, et vnum earum exemplum ad suos Praepositos expedient, vnum cum actis aliis prouide conseruabunt.

f) Videbunt, vt stipulata magisteriis stipendia tempori dependantur, vnicuique de conueniente hospitio, vel annuo censu prouideatur, adolescentes libris necessariis instruantur, aedes scholarum in statu perfecto, et cum requisita supellectili conseruentur.

g) Reliqua officiorum momenta, quae huc, et ad proxima duo instructionum capita faciunt, e descriptione Scholarum vernacularum suapte sequuntur, et intelliguntur.



CA-

CAPVT XII.

Communes Studiosae Iuuentutis Leges, earumque praesidia, et adminicula.

§. 249.

Quamquam curae omnes huc sint referendae, vt Natio haec libera, et peculiari gaudens constitutione generosam sortiatur educationem, magisque honore, quam poenis regatur; tamen quicunque Aetatis maxime lubricae, atque vsu rerum nondum satis confirmatae indolem animo perpenderit, Gentiumque omnium politiorum fastos euoluerit, et iudicia Sapientum explorauerit, facile profecto adsentietur, certos Iuuentuti in spes Patriae educandae ponendos esse cancellos, intra quos tota eiusdem viuendi, agendique ratio contineatur. Quam in rem non tam adcumulata Legum multitudo, quam Sanctionum delectus, et adcurata earum obseruantia conducet.

§. 250.

§. 250.

Quod ad Vniuersitatem adtinet, duplex est in eadem genus Academicorum; alii scilicet educatione nondum plene terminata stadium currunt ordinarium et commune; alii emenso hoc spatio aetatem iam prope virilem consecuti Scientiis Vniuersitati propriis vltro inhaerent; vel etiam ad examina seueriora pro emerenda Doctorum Laurea semet comparant; Conciues nihilominus quodammodo sunt, atque ad ipsum Vniuersitatis forum pertinent. Sicut igitur in Re quauis publica bene ordinata, ita etiam in hac Literaria, membra omnia certis legibus subiacebunt, quae sumpto a Religione exordio, tanquam praecipuo Ciuis cuiusuis officio, capitibus hisce continebuntur, et omnes studentium classes obligabunt.

§. 251.

Religionis, pietatisque institutio, et cultura Catechetis, Oratoribusque sacris speciatim est concredita; eapropter Auditores Catholici dociles, morigerosque se illis praebebunt, et quam debent, reuerentiam exhibebunt. Intererunt autem quotidie Diuino Missae Sacrificio; obseruabunt horas Doctrinae Christianae, sacrisque Sermonibus;

ous, et pietatis exercitiis constitutas; emunda-
bunt quouis mense suam Conscientiam per since-
ram exomologesim, relicto de se apud Sacerdo-
tem testimonio; accedentque debita cum pietate,
et decoro ad mensam Eucharisticam. Eadem Sa-
cramenta solenniter peragent tempore Paschali;
comitabuntur etiam receptas, et publicas Eccle-
siae supplicationes. — Haec, et cetera Religionis
officia vt tanto certius, ordinatiusque adimplean-
tur, nunquam non aderunt Moderatores suorum
Discipulorum: tum vt hac sui praesentia, quod
in vtramque partem plurimum valere solet, ex-
emplum praestent; tum vt semetipsos ab illa,
quam ad procurandam Legum scholasticarum ob-
seruantiam susceperunt, obligatione per oculatam
hanc vigilantiam exoluant.

§. 252.

Theatra, et Choreae publicae mores aetatis
nondum satis maturae facile corrumpere possunt;
animum quidem certe variis formis, et imagini-
bus ita implent, et occupant, vt Adolescens ad
Literarum studia mentem vel maxime collectam
deposcentia, teste quotidiana experientia, diebus
compluribus ineptus efficiatur. Quare haec Iu-
uen-

uentuti studiis ordinariis vacanti, terminumque educationis nondum adsecutae generatim, ac sine discrimine interdicta sint; nouerintque Scholares omnium classium, seu Iuris, aut Medicinae, seu aliarum Scientiarum fuerint Auditores; etiamsi praesentes habeant Tutores, aut Parentes, exemtioni, vel priuilegio, quod antea ceterorum animos excitare, et occasionem praeuaricationi suggerere solebat, nullum hic vltra locum esse.

§. 253.

Popinae, Cauenaeque vulgo dictae, ac suspecta quaeuis hospitia, et conuenticula similiter prohibentur, et hoc loco Praesides, Ciuitatumque Magistratus ad assiduam vigilantiam, sanctionisque Regiae iam alias peculiariter publicatae obseruantiam admonentur. Oenopolae, et Tabernarii, Praefectique Theatrorum, atque Chorearum pecunia mulctabuntur, si quem studiosum scientes admiserint, aut introgressum tolerauerint; vel quod peius, in secreta lusus cubilia deduxerint. Fas erit semper Praepositis, et Ministris Rei Scholasticae publica huius generis loca inspicere, et in studiosam Iuuentutem inquirere.

§. 254.

§. 254.

Rixae quaeuis, et arma, omnesque tumultus nterdicuntur; prohibetur item, ne quis damna enestris, vineis, hortis, siluis, aut pratis inferat; nodestia contra, tranquillitas, et conueniens cum mnibus agendi ratio cunctis magnopere commenlatur. Ad pagos, aut vicina praedia turmatim ıon excurrent, multo minus ibi pernoctabunt, ıut comessationes, et compotationes instituent: juae res non solum moribus, et valetudini noxiae unt, sed etiam iurgiis, et contentionibus occaionem plerumque praebent. Licebit animi caua obambulare, aut corpus ludo quopiam exerere; modo id sine tumultu, aut indecentibus :lamoribus fiat.

§. 255.

Siqua controuersia inter ipsos, vel cum Hospiibus intercesserit, abstinebunt a iurgiis, et conumeliis, causamque omnem ad Praesides defeent; qui eandem ex aequo, et iusto diiudicaıunt. Hospitia commutare semper esto vetitum, isi iustam adesse rationem iidem Praepositi vierint.

§. 256.

§. 256.

Seuerissime omnibus interdicitur, ne dictis, aut factis iniuriosis se se impetant propterea, quod natione, vel religione, aut nascendi condition dissideant; sed a prima iam aetate consuescan Conciues suos omnes eadem complecti beneuolentia, et ad vitae communis tranquillitatem, explendaque boni hominis officia exemplo suo incitare.

§. 257.

Disceptationi de Religionum dogmatis, au cerimoniis nunquam dabitur locus; cum non modo nullam praestet vtilitatem, sed odia, inimicitias, aliaque id genus monstra, vt experientia docuit, plerumque pariat; curandum potius, vt qui Religionum opinionibus inter se dissentiunt, charitatis vinculo copulentur; reuerentia item, et amore erga suos Moderatores alii alios superare contendant.

§. 258.

Quibus domestica paruulorum institutio concredita fuerit, munere adsumto rite fungentur, capiendique consilii gratia ad Decanum, aut Directo-

rectorem, cuius autoritate priuatae id genus in-
stitutioni praefecti sunt, saepius adibunt, praeser-
tim si aduocentur; citra cuius adsensum in nul-
lam eiusmodi praefecturam semet ingerent.

§. 259.

Cum nox a natura ipsa communi quieti, at-
que virium instaurationi sit destinata, grauem sa-
ne ciuili societati inferunt iniuriam, qui incondi-
is tumultibus quietem nocturnam interturbant.
Quare Studiosis omnibus serio praecipitur, vt ad
ua semet hospitia mature recipiant; et hieme
uidem hora vespertina nona, aestate decima
mnes domi suae adsint: secus tamquam vaga-
undi, et publicae tranquillitatis perturbatores a
octurnis Circitoribus comprehendentur, dieque
llucente iurisdictioni suae resignabuntur. Sed et
atres familias, Herique domestici proposita gra-
i comminatione a Magistratu Ciuitatis adstringi
ebent, vt nocturnas praesertim eorum, quibus
omicilium praebent, euagationes Praesidibus de-
erant, et si quidem deferre neglexerint, serio
noneantur; si vero neque hoc iuuerit, incapaces
eclarentur Iuuentutem hospitio excipiendi.

§. 260.

Dum studiorum causa ad aliquod Literarum domicilium peregre quis accesserit, continuo nomen suum, patriam, habitationem, viuendique conditionem, vna cum studiorum, morumque testimoniis Decano, Praefectisque suis exhibebit. Generatim, vti iam alibi, ac in specie de Gymnasiis haec data est regula, admittentur ad scholas gradumque facere possunt ex secunda Studiorum classe; at qui in tertia seu ex ingenii sui tenuitate, seu operae defectu constiterunt, eandem scholam, nisi forte Musarum domum vltro velint relinquere, alterum in annum, data de se progressus alicuius spe, repetere debebunt: quam si propria culpa, vel certa mentis hebetudine fefellerint, nullo suo, bonique publici damno, sine discrimine conditionis, a palaestra literaria auertentur. Qui vero malos, et tertia classe notatos Mores praesetulerint; ne mali contagio, quod in communi Iuuentutis contubernio impediri neutiquam potest, nulla ratione tolerabuntur, sed iure adeundi Scholas culpa sua excidisse declarabuntur. — Reliquum est, quod praeteriri non potest Examina, et Testimonia Scholastica Euangelicorum vtriusque Confessionis robur habere, iusque

ad

ad adeundas Catholicorum Scholas tribuere. Demum, qui de longinquis locis veniunt, et necessariis vitae quotidianae, aut ingruentis morbi adminiculis destituti sunt, non facile, ne deinde sint oneri, recipientur, sed ad vicina loco natali Instituta ablegabuntur. Si quis autem vt auditor ordinarius clanculum in scholas irrepserit, deprehensus illico amandabitur.

§. 261.

Transgressores Legum post admonitionem, reprehensionemque pro varia delictorum indole priuatim, aut publice adhibitam, poenarumque aliarum intentationem, atque comminationem, prudenti Praesidum, vel etiam Consessus Literarii iudicio punientur. Sunt autem varia poenarum genera, sed eo omnia directa, vt Rei persoluta poena, expiatoque facinore corrigantur, et pleno regularum vigori, morumque integritati vel seruandae, vel restituendae consulatur. Grauiora delicta carcere mulctabuntur, qui non vno modo asperari, mitigarique potest. Si alia corporis castigatio videatur esse necessaria, ea quoque erit in promtu. Si quis denique sic obfirmauerit animum, vt spem emendationis nullam relinquat,

eliminabitur; ne prauo illius exemplo alii etiam Contubernalium seducantur, et via illis ad errores ostendatur.

§. 262.

Hoc loco reuocantur in memoriam, et in vnum collecta iterantur illa Scholarum, Morumque praecepta, quae sparsim dicta sunt hactenus. Quamuis enim iterum iterumque dicantur, satis tamen dicta, auditaque esse nemo vnus existimauerit. Tale est illud: Obseruantiam legum, disciplinamque Morum procurari, obtinerique non posse, nisi Professores omnes, et singuli sollicite collaborent. Obligationem ad hoc, autoritatemque acceperunt ab officio, vigilantiam et operam habent in potestate. Si videat eos Iuuentus sibi nunquam non imminere, motus et actiones obseruare; loca omnia, quae facile corrumpere possunt, perscrutari, et in numerato quasi habere; errantes admonere et carpere, rigidam morum censuram exercere, praerogatiuam et honorem illis tribuere, qui se modestia et probitate, bonarumque artium studio apprime commendauerunt; — haec et similia si sciat Iuuenis nunquam non circumspecte praestari suis a Magistris, dubitari nequit,

Le-

Leges hac ex parte esse integras, saluam, tutamque disciplinam. Sed nondum semper satis.

§. 263.

Fouenda est praeterea cum Ciuitatum Magistratibus mutua consiliorum communio, vt legum praescriptarum obseruantia studiis conspirantibus vrgeatur: auxilium eorum multis e capitibus huc est necessarium. Cumprimis ne Aduenae in eiusmodi collocentur domibus, vbi prauis fortasse exemplis a Morum probitate, quam secum adtulerunt, sensim abducantur; vt loca suspecta frequentius visitentur, et si quis ibi Scholasticorum deprehensus fuerit, vsque eo captiuus teneatur, quo tradi possit in forum Praetoris sui literarii. Disponendum etiam est, vt qui Ciuium hospitium, mensamque dare volent Studentibus, nomina sua, et omnia domus, victusque commoda speciatim descripta ad Magistratum suum deferant; qui deinde tales rerum elenchos Praesidi Scholarum consignabit, et cauebit, ne Ciues in locis, in quibus annonae caritas esse non solet, pretia alimentorum, ac hospitiorum nimiopere exaggerent. Profecto si natura hominis paulo adtentius in examen vocetur, patebit Iuuentutem simplici, et parabili vi-

victu, modo aptis temperetur condimentis, et pro rata parte, modoque sit, valetudini suae, ac vigori virium melius consulere, quam si copiosis, et artificiose congestis gulam farciat cupediis. Nec minus in aperto est, Adolescentibus, quibus plerumque sanguis in venis feruet, aut nunquam, aut perraro, maximaque cautione vehementiores propinandas esse potiones, omnique ope victus rationem ad moderationis, et frugalitatis limites esse exigendam: ita non expensarum duntaxat modo, sed etiam valetudini, corporisque firmitati plurimum opis adferetur. Ceterum obstricti erunt Heri cura eorum Alumnorum, quos in domum suam receperunt; ideo si quae in illis castiganda, corrigendaque viderint, non dissimulabunt, sed, vt ante dictum, Praesidi Scholarum indicabunt; quo facto certi esse possunt, nulli prius datum iri Testimonium Scholasticum, quam producat exaratum a Patrefamilias chirographum.

§. 264.

Cum plerisque Iuuentutis praeuaricationibus Numi illicia praebeant, videbunt Parentes, ne amore obcaecati praepostero Liberis suis pecunias, malorum fomenta, largius subministrent.

Ne

Ne autem Liberi ipsi vel debita contrahere, vel res suas alienare possint, cautum est per omnes late Iurisdictiones, et iterato edictum: Iuuentuti Scholasticae sine praeuio Parentum, aut Curatorum consensu nemo aut mutuum dederit, aut vestes, vel aliam supellectilem pignori sumserit. Violatores legis iacturam facient in sua pecunia.

§. 265.

Leges Scholasticas, vt excusationi culpae nihil sit reliquum, primis statim anni literarii diebus, in Vniuersitate quidem Decani Facultatum, in Academiis Directores Prouinciales, in Gymnasiis, ceterisque Scholis Praefecti locales in corona suae Iuuentutis promulgabunt, declarabuntque, et vt fideliter, sancteque obseruentur, his quoque argumentis commendabunt: Mores cuiuslibet Studiosi ex obseruantia Legum istarum esse notandos, et inde semestres Informationes, Testimoniaque publica exaranda; vitia item, delictaque Consilio Regio perscribenda; eos, qui fuerint notati, frustra solicitare, expectareque Munia publica; hanc vbique legem esse, vt a Candidatis testimonia Academica exigantur, et ii duntaxat ad officia deligantur, qui se terminatis bono cum

suc-

successu Studiis Mores etiam inculpatos praesetulisse edocuerint; aut si iam publicis sunt admoti muniis, sed a bonis Moribus, Religioneque sua auersi, ad altiores gradus nullo pacto proue-hantur; immo etiam pro ratione rerum adiunctarum dimittantur. — Haec et similia altero quoque semestri pari modo, et in communi Iuuentutis auditorio repetantur, vt nemo prorsus esse possit, qui hoc quoque nesciat: eos solummodo ad Stipendia, Beneficiaque Literaria adoptatum iri, qui praeter excellentem in Literis profectum certissima Probitatis suae documenta constanter ediderunt. Iuuerit breuem quamdam synopsim earum praecipue Legum concinnare, quae maioris sunt ponderis, et loco in Scholis opportuno affigere, talique admonitione in oculis, et memoria conseruare.

PARS

PARS TERTIA

DE

VARIIS INSTITVTORVM

LITERARIORVM SVBSIDIIS.

§. 266.

Constabilita Studiorum norma, et Scholarum politia, explicatisque Praesidum, Professorum, ac Discipulorum officiis; videndum iam erit, quonam subsidiorum, ac sumptuum adparatu res tanta administrari, inque perpetuum sustentari possit? Quaeuis enim incepta publicae rei emolumento destinata suapte collabuntur, vel certe in primis initiis adhaerescunt, nisi statim principio prouisum sit, vt et adiumenta cetera comparentur, et fontes illi perennes, e quibus quotidiani sumptus scaturiunt, quanta maxima fieri potest cura, conseruentur. Subsidia porro omnia, quibus literarium hoc aedificium, cursusque studiorum expectationi ciuium consentaneus nititur, vel ad eruditam supellectilem, idoneaque disciplinarum adiumenta, vel ad impendia pecuniaria operi sustinendo necessaria referuntur. Paucis de vtroque hoc genere postrema hac in parte est agendum.

SECTIO I.

DE MVLTIPLICIBVS SVBSIDIIS LITERARIIS, ATQVE ERVDITA SVPELLECTILI.

CAPVT I.

De Bibliothecis.

§. 267.

Auditores in Vniuersitate Scientiis, Artibusque vtilibus non tingi leuiter, sed vt aetas admittit, solide erudiri debent: quod quidem sine assidua optimorum Librorum lectione nequaquam consequentur. Quocirca ingens iam illic Rei Librariae supellex est comparata, designatus *Bibliothecae* Praefectus, Custodes, Scribae, ac Famuli; prouisum item, vt legere, atque commentari cupientibus opportuna penes eandem conclauia construantur; adest praeterea luculentum *Numophylacium*

La-

Latinis, Graecis, ac Hungâricis monetis belle instructum; neque deinceps deerunt vel sumptus, vel industriae ad thesaurum hunc locupletiorem efficiendum: quidquid certe in terris haereditariis Numorum nouorum in posterum fuerit excusum, isthuc sine mora transmittetur. Praesto insuper sunt peramplae in Manuscriptis opes, ad res potissimum patrias elucubrandas comparatae.

§. 268.

Bibliothecae cuiusuis ornamentum praecipuum solet esse ipse eiusdem *Praefectus*, qui non plenissimam modo Librorum curae suae concreditorum habeat notitiam, sed etiam fama eruditionis apud Nationes cultas sit inclytus; qui eruditos hospites, maxime exteros, quouis tempore excipiat, per pluteos, forulosque scriptorum deducat, docto sermone, ac responsis teneat; denique praeclaram eruditionis opinionem in abeuntium animis cum desiderio sui relinquat. Vnde satis elucet, quanto sit opere euigilandum, ne ad munus istud obrepant homines in Re publica Literaria obscuri, quibus neque res Libraria Vniuersitatis, neque supellex Numismatica relinqui cum dignitate possit. — Sed et *Custodes* semper opor-

oportebit esse Viros Literatos, autoritate Regia, opinione per Praesidem prius depromta, nominandos; quorum alteri Heraldicae, Diplomaticae, ac Sphragisticae; alteri Numismaticae, et Archaeologiae institutio ex officio incumbet. Scribarum, et Mediastinorum officia Praeses Vniuersitatis conferet.

§. 269.

Librorum emendorum delectus non erit plene Bibliothecariorum arbitrio committendus; sed exquiri semper debebit Facultatum, quarum potissimum vsui Bibliotheca instruitur, opinio, atque ita Librorum comparandorum index a Magistratu Consilio Regio submitti, expendique; vnde fient vlteriores, quae sunt ad rem expeditissimae, dispositiones: seu deinde coemtio eorum imponatur Praefecto Bibliothecae, seu deferatur Directori, vel Factori Typographiae Vniuersitatis, seu denique commendetur aliis Librariis. Vt autem Facultates in Autorum praestantiorum notitiam tanto facilius veniant, prouidebit Praefectus de celebrioribus Diariis, et operum in dies editorum Recensionibus.

§. 270.

§. 270.

Supellectilem *Librorum Studiis Academicis* omnimode esse necessariam nemo non videt, tum vt Professores campum earum, quas in publico docere debent, Scientiarum excolere, viasque institutionis rectas inire, aut praeruptas complanare possint; tum vt Auditores ad priuatam in lectitandis Autoribus diligentiam adsuefaciant, gustumque Literarum alant, et foueant: quem in scopum Prouidentia publica numquam non fuit intenta. Sed tametsi Bibliothecae Academiarum, et Lyceorum plura in annos supplementa acceperint, hactenus tamen ita comparari nequaquam poterant, vt dici possit, votis omnibus satisfactum esse; cum res et maiora, quam vires tulerint aerarii, impendia, et moram temporis desideret longiorem. Id, quod fieri potuit, et primo faciundum erat, iam est praestitum, et Academiarum Cathedris e voto Professorum prospectum. Nimirum, sicut in deligendis Studiorum argumentis huc fuit collineatum, vt res scitu necessariae, vel certe adprime vtiles Iuuentuti edi scendae proponantur, ita plane in Bibliothecis instruendis, siquidem eae Studentium aeque, ac Docentium vsibus adcommodatae esse debeant,

con-

consilia eodem erant conferenda. Restat igitur, vt antequam suppetiae mittantur, Bibliothecae Academicae Ephemeridibus Literariis, et operum eruditorum Elenchis instruantur, vnde Professores Librorum certam vtilitatem pollicentium notitiam habeant, et petere sciant. Director Studiorum Indicem eorum submittet Consilio Regio, et curam Bibliothecae imponet Professori Historiarum. Hoc plane modo *Gymnasiis* quoque *Regiis* subuenietur, et cumprimis Autores Latini classici comparabuntur.

CA-

CAPVT II.

De Museis Literariae Supellectilis.

§. 271.

Pro maiore Artium optimarum cultura, et adminiculo, totiusque literariae rei ornamento terna sunt apud Vniuersitatem constituta Musea, tanquam totidem eiusdem armamentaria, annuis augenda accessionibus, inque finem istum statis prouidenda subsidiis pecuniariis.

a) Prima est *Camera Rerum Naturalium* amplissima, in qua selectae, admirandaeque Naturae procreationes e triplici eius regno congestae, atque ordine dispositae pulcherrimo continentur, et deinceps etiam montanis ex vrbibus, aliisque terrae, ac coeli regionibus colligentur. Praefectura illius concredita est Professori Historiae Naturalis; cuius scilicet institutionibus adparatus iste cumprimis seruit.

b)

b) Altera est Camera *Physica*, ad manum Professoris proprii, instructa, ornataque Instrumentis, quae ad experimenta physica rite instituenda sunt opportuna.

c) Tertia denique Camera *Mechanica*, vbi exemplaria, seu moduli Machinarum tam simplicium, quam compositarum adseruantur, earum praecipue, quarum vsus est peruagatus in Mechanica, Hydraulica, ceterisque vitae humanae subsidiariis artibus. Huius etiam Musei administratio est penes illum, qui Mechanicam profitetur, et docet. Camerae cuiuis additur Mediastinus, qui rerum ordinem, nitoremque curet, et Praefecto operam famularem praestet.

d) Ad haec, *Cathedra* quoque *Geometriae Practicae* eam habet supellectilem, quae excolendae Iuuentuti animum ad hoc vitae genus adiicienti necessaria est.

§. 272.

Museorum in quauis *Academia* duplex est genus: alterum nimirum Physicae probe pertractandae, alterum explanationi Historiae Naturalis cum Re Rustica copulandae adcommodatum. Curam eorum gerent Professores, quorum institutionibus deseruient.

CAPVT III.

De Specula Astronomica, et reliquis Scientiarum Adminiculis.

§. 273.

Specula Astronomica, quae Budae in Arce Regia opere, sumptuque magnifico est educta, ita fui adhuc comparata, vt Astronomi non modo Meteora, superioraque corpora, motus et stationes, immensasque coelorum regiones perlustrare, verum etiam amicos, cultoresque diuinissimae huius Scientiae in contemplatione, doctrinaque siderum erudire, et obseruationum, calculorumque suorum commercium cum exteris plena fide fouere, ac rem denique patriam laboribus, vigiliisque suis amplificare potuerint. Nunc vbi fines Astronomiae amplius sunt prolati, et organa aut noua, mira felicitate, sunt inuenta; aut vetera maiorem ad perfectionem, magno sumptuum et laborum compendio, ac lucro, deducta; nunc inquam meliori-

bus

bus ex auspiciis oportet eam locupletare, Machinisque selectissimis armare, et Astronomiam Hungaricam pro dignitate rei locique exornare: quod reapse fit.

§. 274.

Facultati Medicae multiplicia sunt apud Vniuersitatem constituta adiumenta.

a) Adest imprimis *Hortus Botanicus* peramplus, ab omni Plantarum genere, Caldario item, Hibernaculo, et Stagno pro plantis palustribus comparatus; Hortulano perito, eiusdemque adiutoribus prouisus.

b) Adest *Nosocomium* magno ipsius Vniuersitatis aere sustentatum, in quod delecti aegroti eum in finem recipiuntur, vt curationes siue internae, siue externae sub ipsis Auditorum oculis instituantur, eademque opera non aegris modo remedium adferatur, sed etiam discipuli in medendi vsu erudiantur.

c) Adest *Officina Chemica* bene ordinata, *Theatrum* item *Anatomicum*, et Chirurgicum, non variis modo Instrumentorum, atque Fasciarum generibus, sed praeparatis etiam, vt vocant, Anatomicis, Augusta munificentia instructissimum.

d) *Arti* quoque *Veterinariae* et domus, et alia multa, magnaque subsidia sunt data, insigni cum fructu, qui longe lateque crescit, et per quotidiana in aegroto pecore experimenta spem facit certissimam, futurum, vt Ars Regno praeprimis Hungariae salutaris et necessaria propagetur.

§. 275.

Adiumenta tradendae in Vniuersitate *Oeconomiae Rusticae* reuocantur ad Libros, Instrumenta, commodum Hortum cum Villa, et Pecuariam. Nempe

